

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Divinatione Librvm I. Commentarius Aldi
Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE. DIVINATIONE

LIBRVM. I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

Quinctus Cicero Stoicam personam suslinens duplex diuinandi genus constituit, alterum artis, alterum naturae. Ad artem refert, exta, monstra, tonitrua, coruscationes, auguria, auspicia, stellarum, motus, cometas, sortes, quae priscis longo tempore obseruata sunt: ad naturam uero somnia, & furores, quae contingunt, & obseruantur.

CICERO



ETVS opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaq. & populi R. & omnium gentium firmata consensu, uersari quandam inter homines diuinationem, quam Graeci ^{μαυτικην} appellant, id est praesensionem, & scientiam rerum futurarum, magnifica quaedam res, & salutaris, si modo est ulla, quae proxime ad deorum uim natura mortalis possit accedere. itaque, ut alia nos melius multa, quam Graeci: sic huic praestantissimae rei nomen nostri a diuis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. gentem quidem nullam nideo, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamq. barbaram, quae non significari futura, & a quibusdam intelligi, praediciq. posse censeat. Principio Assyrij, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiam, magnitudinemq. regionum, quas incolabant, cum caelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, traiectiones, motusq. stellarum obseruauerunt: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis uocabulo nominati, diuturna obseruatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Aegyptij

longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem, & Pisdarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus praesimus ipsi, uolatibus auium, cantibusque, certissimis signis declarari res futuras putant. Quam uero Graeciam colonia misit in Aetoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? Nec unum genus est diuinationis publice, priuatimq. celebratum. nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. deinde auguribus & reliqui reges usi: & exactis rebus, nihil publice sine auspicijs nec domi, nec militiae gerebatur. cumq. magna uis uideretur esse & in impetrandis, consulendisq. rebus, & in monstis interpretandis, ac procurandis in haereticum disciplina: omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant; ne genus esset ullum diuinationis, quod neglectum ab ijs uideretur. & cum duobus modis animi sine ratione, & scientia, motu ipsi suo soluto, & libero incitarentur, uno furenti, altero somniante: furoris diuinationem Sibyllinis maxime uersibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos ex ciuitate esse uoluerunt. ex quo genere saepe hariolorum etiam, & uatum furibundas praedictiones, ut Octauiano bello Cornelij Culleoli, audiendas putauerunt.

Nec

Nec uero somnia grauiora, si quae ad temp. pertinere uisa sunt, a summo consilio neglecta sunt. quinetiam, memoria nostra, templum iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de sena-

tus sententia refecit ex Caeciliae, Balearici filiae, somnio. Atque haec, ut ego arbitror, ueteres rerum magis euentis moniti, quam ratione docti, probauerunt.

EXPLANATIO



DICTA & originata. Ab heroicis temporibus, & a priscis temporibus, quando scilicet claruerunt homines diuini generis participes, qui ab immensa fortitudine Heroes dicti sunt. **MAGNIFICA** & amplissima, maxima. **SALVTARIS** & utilis ad conseruandam salutem. **SI modo est ulla** & ita dicit Cicero, quia in secundo libro agens Academicum, aperte ostendat nullam esse diuinationem. **VT Plato interpretatur** & Verba Platonis in Phaedro haec sunt: Illud certe dignum est testificari, quod ueteres, qui nomina rebus posuerunt, non turpe quiddam, neque ignominiosum putarunt furorem. Non enim pulcherrimae arti, qua futurum iudicatur, hoc nomen applicantes, eam manice nominassent: sed, tamquam bonum quiddam sit furor, cum diuina sorte prouenerit, nomen huiusmodi indiderunt. at iuniores isti immissa t. littera inepte mantice uocauerunt. Haec Plato. **HVMANAM** & benignam, facilem. **IMMANEM** & feram, difficilem. **BARBARAM** & crassi ingenij, rudem, & ab omni cultu alienam. **ASSYRII** & hi proprie sunt, qui Babylonem incolunt, adiacentemq. regionem. **AB ultimis** & hoc est, a barbaris: nuper enim nationem barbaram ultimo loco recensuit. **AUCTORITATEM** & originem. **REPETAM**: & hoc est, praepostero ordine procedendo petam. **NOTATIS** & obseruatis. **CHALDAEI** & hi, auctore Diodoro, Babyloniorum antiquissimi eum locum in sua rep. quam in Aegypto sacerdotes, obtinuerunt. ad cultum etenim deorum electi per omnem uitam philosophabantur. peritissimi Astrologiae habiti sunt. Multi quadam diuinatione futura praedicebant. **EANDEM artem** & sideralem scientiam. **PISIDARVM gens**, & Pisidae contermini sunt Lycijs. Cicero pro consul hos populos rexit. **COLONIAM** & Colonia dicitur multitudo hominum alio transscripta, & missa ad habitandum, & ipsa minor urbs, quae nouos habitatores reciperet, colonia dicta. **PYTHIO**, & Apollineo oraculo. **DODONAEO**, & Dodona urbs est Molossorum in Epiro cum oraculo Iouis sub Tomaro monte. Hoc oraculum Sophocles appellauit quercum uerbosam. Illic aeneum uas uiuentorum sonabat: unde factum est prouerbiu, Aes Dodonaicum, in loquaces, & garrulos. **HAMMONIS** & id est arenarij Iouis. Hoc oraculum erat in Africa apud Nasamones in arenis habitantes. **AUSPICATO** & aduerbium est: significat, augurio captato. **EXACTIS** & expulsis. **INTERPETANDIS** & declarandis, quid futurum monstrent. **PROCURANDIS** & repellendis precatone sollempni & legitimo ritu. **HARUSPICVM disciplina** & haruspicina arte. Dicti sunt Haruspices, quasi harugae inspectores. Haruga uero, ut inquit Donatus, significat hostiam siue uictimam. **SOLVTO**, & non impedito. **HARIOLORVM** & diuina mente enunciantium fata. Dicitur est Hariolus, quasi fariolus, a fati, & fando. **FVRIBVNDAS** & furore abundante emissas. **OCTAVIANO bello** & ciuili bello inter Octauium consulem, & L. Cinna. **GRAUIORA** & graue aliquid portendentia. **IYNONIS Sospitae** & huius templum erat apud Lanuuium: cui noui consules de mote sacrificabant. **BALEARICI** & Metellus cognominatus est Balearicus a deuictis Balearibus insulis, quae & Gymnesiae appellantur, in mari Hispano, e regione ad Tarraconem. **EVENTIS** & exitu, ac fine rerum.

CICERO

PHILOSOPHORVM uero exquisita quaedam argumenta, cur esset uera diuinatione, collecta sunt. ex quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes unus, qui deos esse diceret, diuinationem funditus sustulit. reliqui uero omnes, praeter Epicurum balbutientem de natura deorum, diuinationem probauerunt, sed non uno modo. nam, cum Socrates, omnesq. Socratici, Zenoque, & ij, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, uetere Academia, & Peripateticis consentientibus; cumq. huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur uellet esse, plurimisq. locis, grauis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret: Diacarchus Peripateticus cetera diuinationis genera sustulit, somniorum, & furoris reliquit; Cratippusque, familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua diuinationis genera reiecit. sed, cum Stoici omnia ferre ille defenderent; quod & Zeno in suis com-

mentarijs quasi semina quaedam sparsisset; & ea Cleanthes paullo uberiora fecisset: accessit, acerimo uir ingenio, Chrysippus; qui tota de diuinatione duobus libris explicauit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somnijs. quem subsequens, unum librum Babylonis Diogenes edidit, eius auditor, duos Antipater, quinque noster Posidonius. sed a Stoicis uel principibus eius disciplinae, Posidonij doctor, discipulus Antipatri degenerauit Panaetius: nec tamen ausus est denegare, uim esse diuinandi, sed dubitare se dixit. quod illi in aliqua re, inuitissimis Stoicis, Stoico facere licuit; id nos ut in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? praesertim cum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis uideatur luce clarius. sed haec quidem Academiae, praestantissimi philosophi iudicio, & testimonio comprobata est. etenim uobismet ipsis quae rentibus, quid sit de diuinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute, & copiose contra Stoicos disputata sint; uerentibusque, ne temere uel falsae rei, uel

uel non satis cognite assentiamur; faciendum uideatur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in ijs tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. nam cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est, quantum auspicijs, rebusque diuinis, religionique tribuamus. est enim periculum, ne aut, neglectis ijs, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur. quibus de rebus & alias saepe, & paulo accuratius nuper, cum essem cum Quinto fratre, in Tusculano disputatum est. Nam, cum ambulandi causa in Lyceum uenisset, (id enim superiori gymnasio nomen est) Perlegi, inquit ille, tuam paulo ante tertium de natura deorum: in quo disputatio Cottae, quamquam labefactauit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime uero, inquam: etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confuset, quam hominum deleat religionem. Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et uero saepius, credo ne communi iure migrare uideatur: sed, studio contra Stoicos differendi, deos mihi uidetur funditus tollere; eius orationi, non sane desidero, quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio: cuius disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad ueritatem est uisa propensior: sed, quod praetermissum est in illis libris, credo quia

commodius arbitratu es separatim id quaeri, de quo differi, id est de diuinatione, quae est earum rerum, quae fortituae putantur, praedictio, atque praesensio; id, si placet, uideamus quam habeat uim, & quale sit. ego enim sic existimo: si sint ea genera diuinandi uera, de quibus accepimus, quaeque colimus, esse deos; uicissimque, si dii sint, esse qui diuinent. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte defendis: si quidem ista sic recipiuntur; ut & si diuinatio sit, dii sint; & si dii sint, sit diuinatio. quorum neutrum tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. nam & natura significari futura sine deo possunt: & ut sint dii, potest fieri, ut nulla ab ijs diuinatio generi humano tributa sit. Atque ille, tibi uero, inquit, satis est argumenti, & esse deos, & consulere rebus humanis, quod esse clara, & perspicua diuinationis genera iudico. de quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si uacas animo, neque habes quid, quod huic sermoni praeuertendum putes. Ego uero, inquam, philosophiae, Quinte, semper uaco: hoc autem tempore, cum sit nihil aliud, quod libenter agere possumus, multo magis aueo audire, de diuinatione quid sentias. Nihil, inquit, equidem noui; nec quod praeter ceteros ipse sentiam. nam cum antiquissimam sententiam, tum omnium populorum, & gentium consensu comprobata sequor.

EXPLANATIO

EXQUISITA & electa. Ex quibus, & numero quorum philosophorum. **COLOPHON** & urbs Ioniae, patria Xenophanis huius. **BALBUTIEN**TEM & perplexo loquentem. **VETERE Academia** & Platonica familia. **AVCTORITATEM** & aestimationem. **GRAVIS** & magni momenti. **DICAEARCHVS** & fuit Siculus ex urbe Messana. **ISDEM rebus** & furori, & somnijs. **COMMENTARIIS** & libris, in quibus res breuiter, & summarie scribuntur. **SEPTENA** & principia, & capita quaedam. **ACERRIMO** & acutissimo, & perspicacissimo. **DIODEGENES** & Stoicus fuit, e Seleucia. **BABYLONIUS** tamen cognominatus propter uicinitatem. **ANTIPATER** & Stoicus Alexandrinus. **POSIDONIUS** & Apameensis. **DEGENERAVIT** & desciiuit, defecit. **PANAETIUS** & Rhodius. **INUITISSIMIS** & reclamantibus, & indignantibus. **ILLI Stoico** & Panaetio. **NON LIQUET** & ambiguum est, & dubium. **EIVSDEM disciplinae** & Stoicae professionis. **LAVS** & gloria, de omni te dubitandi, ne cui temere uideantur assentiri. **PRAEANTISSIMI philosophi** & Panaetij scilicet. **TEMERE** & imprudenter. **ETIAM atque etiam** & crebro, saepe. **TEMERITAS** & imprudentia. **ERROR** & lapsus. **ANILI** & uana. **OBLIGEMUR** & adstringamur. **LYCEVM** & Lyceo gymnasio, inquit Pausanias, a Lyco Pandionis inditum est nomen. **APOLLINIS** existimatum olim est templum. **LABEFACTAVIT** & concussit, & frequenter maculauit. **FUNDITVS** & a fundo, omnino, penitus. **ARGUMENTA** & rationes. **RELIGIONEM** & diuinum cultum. **ET uero** & certe. **COMMUNI iure** & publico instituto. **MIGRARE** & recedere. **STVDIO** & uoluntate. **EXTREMO tertio** & extrema parte tertij libri. **QUAERI** & quaestionem fieri. **FORTUITAE** & in fortunae arbitrio; quae nec arte, nec sapientia prouideri possunt. **PRAESENSIO** & praesagitio. **QUALE sit** & cuius proprietatis. **COLIMVS** & uenerando exercemus. **ARCEM** & munimentum. **RECIPROCANTVR** & uicissim reflectuntur. **NATURA** & naturae dono **ET, ut** & Et, quamuis. **ARGUMENTI**, & indicij. **SI uacas animo** & nisi alijs curis occupatum habeas animum. **PRAEVERTENDVM** & praefertendum. **VACO** & intentus sum. **HOC autem tempore** & quo litterae meae forenses, ac senatoriae conticuerunt. **AREO** & cupio. **PRAETER ceteros** & qui sentiunt clara esse, & perspicua diuinationis genera. **CONSENSVS** & affirmatione.

CICERO

DVO sunt enim diuinandi genera: quorum alterum artis est, alterum naturae. quae est autem gens, aut quae ciuitas, quae non aut ex his peccandum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium: (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut uaticinationum

(haec enim duo naturalia putantur) praedictione moueatur? quarum quidem rerum euentus magis arbitror, quam causas, quaeri oportere. est enim uis, et natura quaedam, quae tum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu, instatque diuino futuro praenunciata. Quare omittat urgere

Caruca-

Carneades: quod faciebat etiam Panaetius, requirens, Iuppiter ne cornicem a laeva, coruum a dextra canere iussisset. observata sunt haec tempore immenso, & significatione euentus animaduersa, & notata. nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisq. monumentis, efficere, atque assequi possit. Mirari licet, quae sint animaduersa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad uulnera. quorum uim, atque naturam ratio numquam explicauit: utilitate & ars est, et inuentor probatus. Age, ea, quae, quamquam ex alio genere sunt, tamen diuinationi sunt similia, uideamus.

Atque etiam uentos praemonstrat saepe futuros.

Inflatum mare cum subito, penitusq. tumescit;

Saxaq. cana, salis niueo spumata liquore,

Tristificas certant Neptuno reddere uoces;

Aut densus stridor cum celso e uertice montis

Ortus adaugecit scopulorum saepe repulsi.

atque his rerum praesensionibus prognostica tua referta sunt. quis igitur elicere causas praesensionum potest? et si uideo Boethum Stoicum esse conatum: qui haecenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari, caelo ue fierent. illa uero cur eueniat quis probabiliter dixerit?

Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,

Nunciat horribiles clamans instare procellas,

Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen,

Et matutinis Acredula uocibus instat,

Inflat, & assiduas uocum iacit ore querellas,

Cum primum gelidos rores aurora remittit.

Fuscaq. non numquam cursans per litora cornix

Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.

uidemus haec signa numquam fere ementientia: nec tamen, cur ita fiat, uidemus.

Vos quoque signa uidetis aquae dulcis alumnae,

Cum clamore paratis inanes fundere uoces,

Absurdoq. sono fontes, & stagna cietis.

Quis est, qui, ranunculosis hoc uidere, suspicari possit? sed inest mire & ranunculosis quaedam natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesq. boues spectantes lumina caeli

Naribus humiferum duxere ex aere succum.

non quaero cur, quoniam, quid eueniat, intelligo.

Iam uero semper uiridis, semperq. grauata

Lentiscus triplici solita grandescere fetu,

Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi, ne

hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat,

aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet: hoc sum contentus, quod, etiam, si quo

modo quidque fiat, ignorem, quid fiat intelligo. Pro

omnibus ijs rebus, quas commemoravi, respondebo.

quid scamoneae radix ad purgandum, quid aristolochia

ad morsus serpentum possit, quae nomen ex inuentore reperit,

rem ipsam inuentor ex somnio, uideo; quod satis est: cur possit, nescio, sic uentorum,

& imbrium signa, quae dixi, rationem quam habeat, non satis perspicio. uim, & euentum agnosco, scio,

approbo. similiter, quid fissum in exis, quid fibra ualeat,

accipio: quae causa sit, nescio. atque horum quidem plena uita est.

exis enim omnes fere utuntur. Quid? de fulgurum ui dubitare non possumus?

non ne cum multa alia admirabilia, tum illud in primis? cum Summanus in fastigio Iouis optimi maximi,

qui tum erat fissilis, e caelo ictus esset, nec usquam eius simulacri caput inueniretur; haruspices in Tiberim id

depulsum esse dixerunt; idq. inuentum est eo loco, qui est ab haruspibus demonstratus. Sed, quo potius utar

aut auctore, aut teste, quam te? cuius edidici etiam uersus, & lubenter quidem, quos in secundo consularu

Urania musa pronunciat.

EXPLANATIO

EXIS & intestinis. ARTIS & artificiosae diuinationis. MOVEATVR. & tangatur, & afficiatur. Euentus & effectus, exitus. VIS, & natura & potestas in rerum natura. OBSERVATIS & notatis. INSTINCTVS, & impulsu. INFLATVQ. diuino & inspiratione diuina. VERGERE & premere, ac uexate quaestionibus non necessarijs. CORNICEM a laeva & Bonum augurium erat, inquit Val. Probus, si coruus dextra, cornix sinistra volant, Virgil.

Ante sinistra caua mouisset ab ilice cornix.

CANERE & augurium facere. ANIMADVERSA, & cognita. EXCIPIENTE memoria, prodendisq. monumentis, & id est, si memoria exceperit, & proderit monumenta. ASSEQUI & obtinere. UTILITATE & utili experientia. ATQUE etiam uentos & Carmina sunt e prognosticis Ciceronis, in cuius praeconium quae illa repetit. PENITVS & ab imo. CANA & albicantia. TRISTIFICAS & tristiam afferentes. REDDERE uoces, & quasi Echo refert uoces. CAELO & aere. ILLA & quae scilicet proxime describentur. CANA & albicanti pluma. HORRIBILES & formidolosos. TREMVLO gutture & uocem tremulam emittente. ACREDVLA & vulgo Calandra dicitur. INSTAT & perseverat. FVSCA & subnigra. AQVAI dulcis alumnae & ranae intelligit, quae aqua dulci nutriuntur. ABSVRDO sono & rauca coaxatione. CIETIS & monetis. VIDERI & praefagire. QVAEDAM natura & quaedam uis naturalis. PER se & propria uis. CERTA & clara. MOLLIPEDES & molles pedes habentes. LVMINA & stellae. Ex aere succum & humorem aereum. GRAVATA & onusta. LENTISCVS & arbor est in Chio insula, e qua Mastice defluit; a lentore nomen habuit, hoc est a miseresitate. FRVGES & fructus. MATVRITATEM & tempus opportunum. Si quo modo? si qua ex causa. Ab purgandum, & scamoneae succus in sole siccatus digeritur in pastillos, & scammonium dicitur, quod, auctore Plinio, bilem detrahit, aluum soluit, & stomachi facit dissolutionem. VIDEO; & cognosco. RATIONEM & causam significantem. VIM & significationem. Euentvm & effectum. FISSVM & rima, diuisio. FIBRA & iecinatorum extremitas. ACCIPIO; intelligo. HORVM plena uita est. & extorum, inquit, inspectio magno inest

inest usu. Vt in significatione. **SUMMANVS** id est summus manium. Varro de Ling. Lat. ait, a Tito Tatio inter ceteros deos Summanum repositum. Romani ueteres, inquit Augustinus lib. i. v. nescio quem Summanum deum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed, postquam Ioui templum insigne, ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluit, ut uix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit. Quod ignobilis iam factus esset, innuit & Ouid. VI. Fast.

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,

Tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras. Seruius exponens illud Virgilij, Suos quisque patimur manes; exponit pro Genio. **IN fastigio** templi scilicet. **OPTIMI** beneficentissimi. **MAXIMI** potentissimi. **FICTILIS** e terra formatus. Plin. lib. xxxv. cap. 12. **AVCTORE** inuentore, principe. **IN secundo consulatu** Puto corrigendum, In secundo de consulatu: ut subaudiatur, lib. Haec Paullus pater. **VRANIA musa** De musarum numero uariae sunt opinioniones. Ab inquisitione, quae animae proprietates est, hoc est *ἀπό τοῦ μῦθεος* diatae sunt musae, nihilq. aliud uidentur, quam eadem anima mundi, quae inquirendo uarios habitus induerit. Hinc prodijt illa uarietas nominum, nam anima in sphaera, quae mundi aplanis est, Vrania dicitur. Est igitur Vrania musa idem, quod anima caeli stelliferi: sicuti caeli Saturni Polymnia, Therpichore Iouis, Clio Martis, Melpomene Solis, Erato Venetris, Euterpe Mercurij, Thalia Lunae.

C I C E R O

PRINCIPIO, aetherio flammatus Iuppiter igni
vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteq. diuina caelum terrasq. petessit.
Quae penitus sensus hominum, uitasq. retentat,
Aetheris aeterni saepta, atque inclusa cauernis.
Et, si stellarum motus, cursusq. uagantes
Nosse uelis, quae sint signorum in sede locatae,
Quae uerbo, & falsis Graiorum uocibus errant,
Reuera certo lapsu, spatioq. feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primum astrorum uolucres, te consule, motus,
Concursusq. graues stellarum ardore micantes,
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte niuales
Lustrasti, & laeto maestas lacte Latinas,
Vidisti, & claro tremulos ardore cometas,
Multaq. misceri nocturna strage putasti;
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
Cum claram speciem concreto lumine Luna
Abdidit, & subito stellanti nocte premissa est.
Quid uero Phoebi fax, tristis nuncia belli,
Quae magnum ad columen flammato ardore uolabat,
Praecipites caeli partes, obitusq. petisset?
Aut cum terribili percussus fulmine ciuis,
Luce serenanti mitalia lumina liquit?
Aut cum se grauido tremescit corpore tellus?
Iam uero uariae nocturno tempore uisae
Terribiles formae bellum, motusq. monebant:
Multaq. per terras uates oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitancia casus.
Atque ea, quae lapsu tandem cecidere uetusto,
Haec fore, perpetuis signis, clarisq. frequentans
Ipse deum genitor caelo terrisq. canebat.
Nunc ea, Torquato quae quondam & consule Cotta
Lydius ediderat Tyrhenae gentis harsipex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus olympo
Ipse suas arces, atque incluta templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex aere uetus, generataq. Nattae

Concidit, elapsaeq. uetusto numine leges:
Et diuum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic siluestris erat, Romani nominis atrix,
Marta, quae paruos Mauoris semina natos
Uberibus grauidis uitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulsa pedum uestigia liquit.
Tum quis non artis scripta, ac monumeta uoluitans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes ciuili generosam stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemq. monebant:
Vel legum exitium constanti uoce ferebant,
Templa deumq. adeo flammis, urbesq. iubebant
Eripere, & stragem horribilem, caedemq. uereri,
Atque haec fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, sanctusq. senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populiq. uideret.
Haec tardata diu species, multumq. morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atque una fixi, ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptris columna,
Ac clades patriae flamma, ferroq. parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoq. patebat.
Rite igitur ueteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos, urbesq. modo, ac uirtute regebant;
Rite etiam uestri, quorum pietasque, fidesq.
Praestitit, & longe uicit sapientia cunctos,
Praecipue ingenti coluerunt numine diuos.
Haec adeo penitus cura uidere sagaci
Ora qui studijs laeti tenuere decoris,
Inq. Academia umbrifera, nitidoq. Lyceo
Fuderunt claras secundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam a flore iuuentae,
Te patria in media uirtutum mole locauit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriae uoces studijs, nobisq. sacra sti.

EXPLANATIO

PRINCIPIO § primum omnium. FLAMMATVS § incensus. VERTITVR § circumuoluitur. QVAE § scilicet mens diuina. PENITVS § intrinsecus. RETENTAT § crebro mouet. SAEPTE § circumdata. CAVERNIS § concauitatibus. VAGANTES § errantes. SIGNORVM in sede § in signifero circulo, qui obli- que ambit caelum, & Graece Zodiacus dicitur. ERRANT § errare dicuntur a Graecis, qui eas planetas, hoc est Errones appellant. LAPSV § defluxu, motu praecipiti. NOTATA § signata, obseruata, animaduersa. VOLUCRES § ueloces uolucrum motibus similes. TE consule, § in tuo consulatu. GRAUES § terrificos. TYMVLOS § aceruos. LYSTRASTI § sacrificando circūsti. Adscendebant enim noui consules ad sacrifican- dum Ioui Latiali in Albano monte, ac Iunoni Sospitae apud Lanuuium. DIRVM § crudele, tremendum. CLA- RAM § speciem § laetam faciem. CONCRETO lumine § nubiloso aere. STELLANTI nocte § serena nocte. FAX § flammis radius. MAGNUM ad columnen § ad summum fastigium. PRAECIPITES partes, § occi- duas partes. OBLITVS § occasus. VITALIA lumina liquit § exspirauit. GRAVIDO § uentis pleno. MO- NEBANT § praesignabant. LAPSV cecidere uetusto § praeteritis cladibus euenere. FREQUENTANS § cre- bro ostendens. CANEBAT § praedicebat. HARVSPEX Tyrrhenae gentis § Extorum inspector apud Etru- fcos, qui etiam Tyrrheni dicti sunt a Tyrrheno duce gentis Lydiae, qui Etruscis imperauit. FIXA § certa TYVS annus § tempus tui consulatus. GLOMERANS § inuoluens. DETERMINAT § comprehendit. IGNES § fulmina. TYM species ex aere uetus, generataq. Nattae § Generosaque, Legit Muretus: & paul- lo infra,

Omnes ciuili generosa stirpe profectam.

Haec Paullus pater. SPECIES § imago, statua. GENEROSA § nobilis. Erat enim Natta de Pinariorum fami- lia nobilissima, & uetustissima apud Latinos, etiam tempore Euandri, & Herculis. ELAPSAE § liquefactae leges caelatae in aereis tabulis. VETVSTO numine § uetusta dei imagine. PEREMIT § consumpsit. AT- TRIX Martia § Lupa nutrix Romuli, ac Remi filiorum Martis. VITALI rore § lacte, quo nutriti uitam confer- uarunt. QVAE § lupae imago. PEDVM uestigia liquit § de proprio loco mora est. MONVMENTA § libros tonitruales, & fulgurales. TRISTIFICAS § denunciante tristitiam. PROMEBAT § interpretabatur. PRO- FECTAM § ortam. PESTEM § ingens, & commune malum. EXITIUM legum § interitum libertatis. FERE- BANT § praenunciabant. ADEO § certe. IVBEBANT § hortabantur. ATQVE § subaudi mouebant Roma- nos. FIXA § firmata. FVNDATA § stabilita. COLVMEN § fastigium, culmen, DECORE § eleganter. SPE- CIES § statua. TYM fore § hoc est, tum monebant futurum esse. CONATVS § conuinationes. PATRVM sedes § concilium senatorum. POPVLI § Quiritium. Alibi idem Cicero, Haruspices, inquit, iusserunt simu- lacrum Iouis facere maius, & in excelso collocare, & contra atq. fuerat, ad Orientem conuerrere: ac se spera- re dixerunt, si illud signum, quod uidetis, Solis ortum, & forum, curiamq. conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis, atq. imperij, illustrarentur, ut a S.P.Q.R. perspici possent, atq. il- lud signum consules ita collocandum statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neq. a superioribus consuli- bus, neq. a nobis ante hodiernum diem collocaretur. quo collocato, atq. ad uos, senatumq. conuerso, omnia & senatus, & uos, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata, & patefacta uidistis. CELSA sede § Capitolino fastigio. FIXI § constituti ab haruspiciibus. CLARABAT § ostendebat. CLADES § exitium. ALLOBROGVM § qui legationis munere fungebantur, & conuinationem aperuerunt. RITE § recte. VETE- RES § prisci Graeci. MONVMENTA § leges duodecim tabularum quae a Graecis petitae sunt. TENETIS § bo- na uoluntas erga deum, patriam, & parentes. FIDES § candor animi, & sinceritas. PRAESTITIT § excel- luit. SAPIENTIA § prudentia. INGENTI numine § maxima religione. HAEC § id est talia pertinentia ad deos & religionem, & diuinationem. ADEO § certe. CVRA sagaci § studio sollerti. OTIA tenuere § tem- pus impendere. In Academia, § in Platoniorum schola, quam umbriferam uocat, quia in utramq. partem disputant Academici, omnia ad ambiguitatem redigentes. Vnde Horat. Atq. inter siluas Academi quaesere uerum. LYCEO § in Aristotelico schola, quam nitidam appellat, quia aperte loquitur. Sciendum est Academiam fuisse in suburbanis Athenarum, & Lyceum intra moenia. CLARAS artes § certas, & perspi- cuas rationes. FECVNDI pectoris § docti, & parturientis animi. Equibus § scilicet studijs. IN media uir- tutum mole § in reip. regimine, ubi uirtutis est argumentum. ANXIFERAS curas § cogitationes laboriosas, & anxietatem ferentes. REQUIETE § cessatione quadam. QVOD § quia. VOCES § eloquij fluentia. PA- TRIAE studijs § curis publicis. NOBISQVE § hoc est, & Musis. In hac sententiam Claudianus:

Aut curam imponit populis, aut otia Musis.

CICERO

TV igitur animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur, de diuinatione dicere, qui & gesseris ea, quae gessisti, & ea, quae pronun- ciani, accuratissime scripseris? Quid quaeris, Carneades, cur haec ita fiant, aut qua arte perspicui possint?

nescire me fateor: euenire autem, te ipsum dico uide- re. casu, inquis. ita ne uero? quidquam potest esse casu factum, quod omnes habet in se numeros ueritatis? quatuor tali iacti, casu uenereum efficiunt. num etiam centum uenereos, si CD talos ieceris, casu

casu futuros putas? adpersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Gnidiae, Coaeq. pulchritudinem effingi posse ad spersione fortuita putas? sus rostro si humi a litteram impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennij ab ea posse describi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapidinis, saxo difisso, caput exstitisse Panisci. credo, aliquam non dissimilem figuram; sed certe non talem, ut eam factam a Scopae diceret. sic enim se profecto res habet, ut numquam perfecte ueritatem casus imitetur. at non numquam ea, quae praedicta sunt, minus eueniunt. quae tandem id ars non habet? earum, dico, artificium, quae coniectura continentur, & sunt opinabiles. an medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt, quid? gubernatores non ne falluntur? an Achimorum exercitus, & tot nauium rectores non ita profecti sunt ab Ilido, ut profectioe laeti piscium lasciuam intuerentur, ut ait Pacuuius, nec tuendi satietas capere posset?

Interea prope iam occidente Sole inhorrescit mare, Tenebrae conduplicantur, noctisq. & nimbium occaecat nigror:

num igitur tot clarissimorum ducum, regumq. naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit, amisso exercitu? aut num propterea nulla est reip. gerendae ratio, atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quaedam M. Catonem, non nulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsio, omnisq. opinabilis diuinatio: coniectura enim nititur: ultra quam progredi non potest. ea fallit fortasse non numquam, sed tamen ad ueritatem saepissime dirigit: est enim ab omni aeternitate repetita. in qua cum paene innumerabiles res eodem modo euenirent iisdem signis antecessis, ars est effecta, eadem saepe animaduertendo, atque notando. Auspicia uero uestra quam constant? quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur, (bona hoc tua uenia dixerim) a Cilicibus, Phamphylys, Pisidis, Lycijs tenentur. nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum, atque optimum uirum, Deiolacum regem commemorarem? qui nihil numquam, nisi auspiciato, gerit: qui cum ex itinere quodam proposito, & iam constituto reuertisset, aquilae admontus uolatu; conolauit illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corrui. itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe reuertit ex itinere, cum iam progressus esset multorum dierum uiam. cuius quidem hoc praeclearissimum est, quod, postea quam a Caesare retrarchiae regno, pecuniaq. multatus

est, negat se tamen eorum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda euenirent, paenitere: senatus enim auctoritatem, & populi R. libertatem, atque imperij dignitatem suis armis esse defensam, sibiq. eas aues, quibus auctoribus officium, & fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille igitur mihi uidetur uere augurari. nam nostri quidem magistratus auspicijs utuntur coactis. necesse enim est, offa obiecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. quod autem scriptum habetis, aut tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium sollicitimum dicitis. itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegij amissa plane, & deserta sunt. nihil seve quondam maioris rei, nisi auspiciato, ne priuatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. nam, ut nunc extis, (quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim) sic tunc aibus magna res impertiri solebant. itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira, & in uitiosa incurrimus. ut P. Claudius, Appij Caeci filius, eiusq. collega L. Iunius classes maximas perdiderunt, cum uitio nauigassent. quod eodem modo euenit Agamemnoni: qui, eum Achiui coepissent inter se strepere, aperteq. artem obterere extispicij, Soluere imperat secundo rumore, auersaq. aui. sed, quid uetera? M. Crasso quid acciderit, uideamus, dirarum obnunciatione neglecta. in quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter uirum bonum, & ciuem egregium censor C. Ateium notauit, quod, ementitum auspicia, subscripserit. esto: fuerit hoc censoris, si iudicabat ementitum. at illud minime auguris, quod adscripsit, ob eam causam populum R. calamitatem maximam cepisse. si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnunciavit, sed in eo qui non paruit. ueram enim fuisse obnunciationem, ut ait idem augur, & censor, exitus approbavit. quae si falsa fuissent, nullam asferre potuissent causam calamitatis. etenim dirae, sicut cetera auspicia, ut omnia, ut signa, non causas asserunt cur quid eueniat, sed enunciant euentura, nisi prouideris. non igitur obnunciatio Ateij causam finxit calamitatis, sed, si gno obiecto, monuit Crassum, quid euenturum esset, nisi cauisset. ita aut illa obnunciatio nihil ualuit: aut, si, ut Appius indicat, ualuit, id ualuit, ut peccatum haereat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperauit.

EXPLANATIO

CVR? quam ob causam ARTE? ratione. CASV,? sine certa causa, aut ratione. NUMEROS? gradus. TALIS? Quattuor talis ludebant antiqui. eorum autem quilibet quattuor tantum habet latera: & haec puncta, unum, tria, quattuor & sex. Vni uero cum opponantur sex, & quattuor tribus, supremus numerus in talis, qui constat ex punctis uiginti quattuor, dicebatur Veneris. TEMERE? casu, inconsulte, nulla certa arte, aut ratione. PIGMENTA? colores ad pingendum praeparati. VENERIS Gnidiae? Plinius de Praxitele agens dicit, Sed ante omnia Venus, quam ut uiderent, multi nauigauerunt Gnidum. Gnidus insula est Cariae regionis, & urbs eiusdem nominis. COAEQ? Cos etiam insula, & urbs. Cois pinxit Apelles Venerem e mari exeuntem. ANDROMACHAM Ennij? Iubaui, Tragoediam. CHIORVM? Chios insula.

est ante Ioniam. A SCOPA ꝛ fuit Scopas marmoris caelator, & scalptor nobilis. IMITETVR. ꝛ effingat per imitationem. QVAE tandem &c. ꝛ ac si dicat, Omnes artes, quae coniectura, & opinione exercentur, id habent. CONIECTVRA ꝛ signis quibusdam dirigentibus rationem ad ueritatem. LASCIVIAM ꝛ luxum, laetitiam. PACCVIVS ꝛ Poeta fuit tragicus Ennij nepos ex filia. INHORRESCIT ꝛ turbatur. NIGROR ꝛ obsecritas. NVM sustulit ꝛ quasi dicat, Non amouit nauticam peritiam. GERENDAE ꝛ administrandae. OPINABILIS ꝛ coniecturalis. NITITVR ꝛ firmatur. EA ꝛ coniecturalis interpretatio. REPETITA ꝛ obseruata. VESTRA ꝛ ita dicit, quia augur erat etiam Cicero, & eadem ratione subdit, Bona hoc tua uenia dixerim. TENENTVR ꝛ intelliguntur. HOSPITEM ꝛ iure hospitij nobis coniunctum. DEIOTARVS ꝛ Hic fuit Gallograeciae rex. AVSPICATO ꝛ captatis auspicijs. PROPOSITO ꝛ destinato. CONCLAVE ꝛ locus conclusus clauae. PERREXISSET ꝛ perseuerasset. REGNO tetrarchiae ꝛ Regno Gallograeciae in quattuor partes olim diuiso, quae omnes in Deiotari potestatem deuenierant. De Deiotaro alibi inquit Cicero, Multis gradibus officiorum erga remp. nostram ad hoc regium nomen adscendit. MULTATVS est, ꝛ priuatus est in poenam. AVCTORITATEM, ꝛ excellentiam, aestimationem, iudicium. DIGNITATEM ꝛ honorem. AVCTORIBVS ꝛ suatoribus, ducibus. ANTIQVIORVM ꝛ cariorem. GLORIAM. ꝛ famam, laudem seruatae fidei, & honestatis. AVGVRRARI. ꝛ auguria interpretari. COACTIS. ꝛ uiolentis. OFFA ꝛ escae pulte, siue carnibus, aut alia re. SCRIPTVM habetis ꝛ scilicet in libris disciplinae auguralis. IN solum ꝛ in terram. Sic tum anibus magnae res impetrari solebant. ꝛ Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Impetrari. Est autem, Impetrari, uetus augurale uerbum: quod idem Cicero usurpat lib. II. de diuinat. Qui euenit, inquit, ut is, qui impetrare uelit, conuenientem hostiam rebus suis immolet? Et Plaut. in Afin.

Impetratum, inauguratum est: quouis admittunt aues.

Restituendus etiam locus ille apud Valerium lib. I. Prisco etiam instituto rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, uoto; cum inquirendum uel exitis, uel fortibus, impetrato: non, ut uulgo legitur, Imperito. Quod autem hoc ipso in lib. legitur, Impetrandis, consulendisq. rebus; malim legere Impetrandis, quam Impetrandis. diuersa enim sunt, Impetrare, & Impetrare. non enim Festus, sed opinor Paullus illud scripsit: Impetratum, impetratum. Haec Paullus pater. EXQVIIRIMVS ꝛ scilicet captando auguria. DIRA ꝛ res noxias. VITIOSA ꝛ culpabilia. Vnde Vitiosi magistratus olim dicebantur non rite electi. VITIO ꝛ inauspicato. INTER se strepere &c. ꝛ Carmen est ex Agamemnone Pacuij. OBTERERE ꝛ deridere. SECUNDO rumore ꝛ fauentibus ijs, qui auspicia deridebant AVERSA aui ꝛ contrario auspicio. DIRARVM ꝛ rerum tristium. OBNUNCIATIONE ꝛ imprecatione. Vide Plutarchum in uita Crassi. COLLEGA tuus ꝛ focus in augurum disciplina. ATEIUM ꝛ Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Aetheium: cum de Ateio Plutarchus in Crasso mentionem faciat. Et Dio lib. xxxix. C. Ateium Capitonem nominet. Facile autem crediderim eum esse, quem Cicero appellat ep. 29. lib. XI. Fam. his uerbis: C. Ateio Capitone familiarissime uitor. Aetheiorum gentem inter Romanas nondum inueni. Haec Paullus pater. PROVIDERIS ꝛ remedium adhibueris. FIXIT ꝛ constituit SIGNO obiecto ꝛ opposita face: Ateius enim trib. pleb. opposuit facem Crasso consuli in Parthos exeunti, & narrauit auspiciam non esse prosperum. NIHIL ualuit ꝛ nullam causam attulit calamitatis. ID ualuit ꝛ id effecit. PECCATVM haereat ꝛ culpa sit non in Ateio, sed in Crasso.

CICERO

QVID lituus iste uester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde uobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit, qui quidem Romuli lituus, id est incuruum, & leuiter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit; cum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaq. deflagrasset, inuentus est integer. Quid mutis annis post Romulum, Prisco regnate Tarquinio; quis ueterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Nauio per lituum regionum facta descriptio? qui cum propter paupertatem, sues puer pasceret, una ex his amissa, uouisse dicitur, si recuperasset, uua se deo daturum, quae maxima esset in uinea. itaque, suae inuenta, ad meridiem spectans, in uinea media dicitur constitisse; cumq. in quattuor partes uineam diuidisset, tresq. partes aues abdidissent; quarta parte, quae erat reliqua, in regione distributa, mirabili magnitudine uuam, ut scriptum uidemus, inuenit. qua re celebrata, cum uicini omnes ad unum de rebus suis referrent, erat in magno nomine, & gloria. ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus accerferet. cuius

cum tentaret scientiam auguratus, dixit ei se cogitare quiddam. id posset ne fieri, consuluit. ille, augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse praedici: tum Attium iussisse experiri: ita cotem in Comitium illatam, inspectante & rege, & populo, nouacula esse discissam. ex eo euenit, ut & Tarquinius augure Attio Nauio uteretur, & populus de suis rebus ad eum referret. cotem autem illam, & nouaculam defossam in Comitio, supraq. impositum puteal accepimus. Negemus omnia; comburamus annales; ficta haec esse dicamus; quiduis denique potius, quam deos res humanas curare, fateamur: quid, quod apud te scriptum est de Ti. Graccho, non ne & augurum, & haruspicum comprobatur disciplinam? qui, cum tabernaculum uitio cepisset imprudens, quod inauspicato pomerium transgressus esset; comitia consulibus rogandis habuit. nota res est, & a te ipso mandata monumentis. sed & ipse augur Ti. Gracchus auspicioorum auctoritatem confessione errati sui comprobauit; et haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas; qui recentibus comitijs in senatum introducti, negauerunt insuam comi-

comitiorum rogatorem fuisse. Iis igitur aſentior, qui duo genera diuinationis eſſe dixerunt; unum, quod particeps eſſet artis, alterum, quod arte careveret. eſt enim ars in ijs, qui nouas res coniectura perſequuntur, ueteres obſervatione didicerunt. carent autem arte ij, qui non ratione, aut coniectura obſeruatis, ac notariſ ſignis, ſed concitatione quadam animi, aut ſoluto, liberoq. motu futura praefentiunt. quod et ſomniantibus ſaepe contingit, & non numquam uaticinantibus per furorem, ut Bacchis Boeotius, ut Epime-

nides Cres, ut Sibylla Erythraea. cuius generis oracula etiam habenda ſunt, non ea, quae aequitatis ſortibus dicuntur; ſed illa, quae inſtinctu diuino, aſſultuq. ſubduntur. et ſi ipſa ſors contemnenda non eſt, ſi & auctoritatem habet uetuſtatis, ut eae ſunt ſortes, quas e terra editas accepimus: quae tamen dubitac, ut in rem apte cadant, fieri poſſe credo diuinitus. quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, diuinationem uidentur accedere.

EXPLANATIO

QUID lituus iſte ueſter? Inſignia, inquit, auguratus ueſtri diuinationem eſſe ueram oſtendunt. A ſummo? a cacumine. **BACILLVM**? deminutium eſt a baculo, quod etiam neutro genere protulit Ouid. - baculum, quod agreſte gerebat.

LITVI, quo canitur? litui militaris. Eſt autem genus bucinæ incuruae, quo, qui cecinerit, inquit Vegetius, dicitur Liticen. **SALIORVM**? Salij dicebantur Sacerdotes Martis. de quibus, inquit Liuius, Numa Salios duodecim Marti Gradiuo legit. **ABDISSENT**, & reproballeſſent, damnalleſſent. **DISTRIBVTA**, & deſignata. **CELEBRATA**, & diuulgata. **REFERENT**? conſilium peterent. **NOMINE**? fama, aſtimatione, ueneratione. **ACCERSERET**? aduocaret. **AVGVRA TVS**? auguralis muneris. **CONSVLVIT**? quaſiuit. **ACTO**? captato. **NOVACVLA**? raſorio cultello. **EXPERIRI**? tentare. **IN Comitium**? in loco, ubi conueniebant magiſtratus. **PVTEAL**? hoc nomine proprie intelligitur lapis, quo operitur os putei. Inde ponitur pro quocumque ſuperpoſito lapide ad monumentum, & recordationem. **COTEIV**, inquit Dionyſius, & nouaculam inſculptam dicunt ſub ara quadam ſubterranea. uocatur autem a Romanis Puteal. **ANNALES**? hiſtoricos libros. **CVRARE**? habere curam. **APVD te**? in lib. II. de Nat. de. **TABERNACVLVM**? tugurium, e tabulis confectum, e quo augurium captarent augures. **VITIO cepiſſet imprudens**, & non legitime conſtituiſſet, non ſeruato per imprudentiam augurali ritu. **POMERIUM**? Pomerium, inquit Liuius, eſt circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etruſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis augurato conſecrabant: & hoc ſpatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id, Pomerium Romani appellarunt. **ROGANDIS**? eligendis. **AVCTORITATEM**? dignitatem. **IVTVM**? legitimum, quoniam in auſpicando errauerat. **ARS**? artificioſa diuination. **CONIECTVRA perſequuntur**? interpretantur obſervatione euentorum. **RATIONE**? arte. **CONCITATIONE**? commotione, impetu, furore. **QVOD**? ſcilicet praefagium. **BACCHIS Boeotius**? Piſiſtrati ex Eleone urbe Boeotiae epitheton erat Bacchis, auctore Suda, quoniam erat fatidicus. **EPIMENIDES Cres**, & Epimenidis uatis Cretenſis ſuaſione, Athenienſes erexerunt aras Deo ignoto, ut ait Laertius. Diuus Paullus in epistoſa ad Titum Epimenidem nominauit prophetam, qui ſemper mendaces cecinerat Cretenſes, malaq. beſtias, & uentres pigros. **ERYTHREA**? Erythre patria huius Sibyllae urbs eſt Ioniae. **ORACVLA**? ita dicuntur ſententiae diuinae humano ore enunciatae. **EDITAS**? emiſſas. **IN rem**? ad propoſitum. **DIVINITVS**? ordinatione diuina. **QVORVM omnium**? oraculorum, atque ſortium.

CICERO

QVAE eſt igitur iſta calliditas, res uetulaſte robustas calumniando uelle peruertere? Non reperio cauſam. latet forte obſcuritate inuoluta naturae. non enim ne deus iſta ſcire, ſed hiſ tantum modo uti uoluit. uer igitur, nec adducar, ut rear aut in exitis totam Etruriam delirare, aut eandem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, cum terrae ſaepe fremitus, ſaepe mugitus, ſaepe motus multa noſtrae reip. multa ceteris ciuitatibus graua & uera praedixerint. Quid, qui irridetur, partus hic mulae, non ne, quia fetus exſtitit in ſterilitate naturae, praedictus eſt ab haruſpicibus incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus, Publy filius, qui bis conſul, et cenſor fuit, idēq. & ſummus augur, et uir ſapiens, cuiusq. praefans, non ne, ut C. Gracchus, filius eius, ſcriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehenſis haruſpices

conuocauit? qui cum reſponſiſſent, ſi marem emiſſiſſet, uxori breui tempore eſſe moriendum; ſi feminam, ipſi: aequius eſſe cenſuit, ſe maturam oppetere mortem, quam P. Africani filiam adoleſcentem: feminam emiſit: ipſa paucis poſt diebus eſt mortuus. Irrideamus haruſpices; uanos, futiles eſſe dicamus, quorumq. diſciplinam & ſapientiſſimus uir, & euentus, ac res comprobauit, contemnamus: contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui ex Caucaſo caeli ſigna ſeruantes, numeris, & motibus ſtellarum curſus perſequuntur: condemnemus, inquam, hos aut ſtultitiae, aut uanitatis, aut imprudentiae, qui CCCCLXX millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent, & mentiri iudicemus, nec ſaeculorum iudiciū, quod de ipſis futurum ſit, perimeſcere. Age, barbari uani, atque fallaces: num etiam Graiorum hiſtoria mentita eſt? quae Croeſo Pythius Apollo,

Apollo, (ut de naturali diuinatione dicam) quae Atheniensibus, quae Lacedaemonijs, quae Taygetis, quae Argiuis, quae Corinthijs responderit, quis ignorat? collegit innumerabilia oracula Chrysisippus, nec ullum sine locuplete auctore, atque teste: quae quia nota tibi sunt, relinquo. defendo unū hoc: numquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, neque tantis donis refertū omnium populorū, atque regum, nisi omnis aetas oraculorū illorū ueritatem esset experta. iam diu idem non facit. ut igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum ueritas excellit: sic tum, nisi summa ueritate, in tanta gloria non fuisset. potest autem uis illa terrae, quae mentem Pythiae diuino afflatu concitabat, enanuisse uetustate, ut quosdam exaruisse amnes, aut in aliū cursum contortos, & diflexos uideamus. sed, ut uis, acciderit: magna enim quaestio est: modo maneat id,

quod negari non potest, nisi omnem historiam peruerterimus, multis saeculis uerax fuisse id oraculum. Sed omittamus oracula: ueniamus ad somnia. de quibus disputans Chrysisippus, multis, & minutis somnijs colligendis, facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quae, Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysij mater, eius, qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, & doctum hominem, & diligentem, & aequalem temporum illorum, cum praegnantem hunc ipsum Dionysium alio contineret, somnauit se peperisse satyriscum. huic interpretes portentorum, qui Galleotae tum in Sicilia nominabantur, responderunt, ut ait Philistum, eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diuturna cum fortuna fore.

EXPLANATIO

CALLIDITAS; astutia, & calumnia. **ROBUSTAS**; confirmatas. **CAUVM IN ANDO**; astuta uituperatione damnando. **PERVERTERE**; destruere. **NON reperio causam**; subaudi harum diuinationum. Haec sunt uerba calumniantium. **LATET fortasse**; subaudi causa. Haec sunt Q. Cic. uerba, quibus inquit, satis esse cognosci effectum, etiam ignorata causa. **NATURA**; illius, quae est natura naturarum, & causa causarum: hoc est, dei. **DELIRARE**; aberrare. **PORTENTA**; monstra. **GRAUIA**; magna. **PARTVS hic**; qui scilicet nuper apparuit. **INCREDIBILIS**; numerosus. **SVMMS**; peritissimus. **PRAESTANS**; egregius. **MATVRAM**; tempestiuam. **ADOLESCENTEM**; Corneliam adhuc uigentem & aptam seibus. **FEMINAM**; serpentem feminam. **VANOS**; leues. **FVILES**; temere effluentes. **DISCIPLINAM**; scientiam. **COMPROBAUIT**; quoniam Ti. Gracchus mortuus est. **BABYLONIOS**; Chaldaeos, de quibus paulo supra meminit Cicero. **NUMERIS**; supputationibus arithmeticis. **MOTIBVS**; gradibus. **PERSEQVNTVR**; imitantur. **STVLTITIAE**; ignorantiae. **CCLXX millia**; Saepē mihi in eiusmodi litteris obferuatus error facile persuadet, ut legendum potius existimem, CCCCLXXX, & deleatur millia nam, CCCCLXXX, ualet, centum millia, quo de genere in nostris ad Atticum commentarijs & satis copiose, & primi, ut optior, disputauimus. Haec Paullus pater. **MONVMENTIS**; historijs. **SAEVLORVM reliquorum**; hoc est, hominum, qui posterioribus temporibus essent futuri. **PYTHIUS**; Apollinis cognomen, a Pythone serpente, quem ipse Apollo sagittis confecit. **LOCVLETE**; grati, & fide digno. **SED, ut uis**; Sed, quomodo cumque uis: ac si dicat, nihil refert hoc, an alio modo uis illa terrae euauerit. **MODO maneat**; dummodo certum sit. **SOMNIA**; nocturna uisa. **ANTIPHONTIS**; hic auctore Suda, fuit Atheniensis, portentorum, & somniorum interpres. Lucianus agens de ueris narrationibus dicit, Praeerat oraculo coniectior Antiphon. **GRANDIORIBVS**; illustrioribus. **APVD Philistum**; Syracusius historicus fuit Philistus, siue, ut Suda scribit, Philiscus. **SATYRISCVM**; paruum Satyrum: ita & Paniscus paruum dicitur Pan-

CICERO

NVM te ad fabulas reuoco uel nostrorū, uel Graecorum poetarum? narrat enim & apud Ennium Vestalis illa:

Excita cum tremulis anus attulit artubus lumen,
Talia commemorat lacrymans exterrita somno.
Euridica prognata, pater quam nosler amauit.
Vires uitaq. corpus meum nunc deserit omne.
Nam me uisus homo pulcher per amoena salicta
Et ripas raptare, locosq. nouos. ita sola
Post illa, germana soror, errare uidebar,
Tarda q. uestigare: & quaerere te, neque posse
Corde capeffere. semita nulla pedem stabilibat.
Exin compellare pater me uoce uidetur
His uerbis: O gnata, tibi sunt ante gerendae
Aerumnae: post ex studio fortuna resistet.
Haec pater effatus, germana, repente recessit,
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus:
Quamquam multa manus ad caeli cerula templa

Tendebam lacrymans, & blanda uoce uocabam.
Uix aegrotum corde meo me somnus relinquit.
haec, etiam si ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus.
Quia mater grauida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Percussus, curis sumptis suspirantibus
Exsacrificabat hostijs balantibus.
Tum coniectore postulat pacem petens,
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese uertant tantae sortes somnium.
Ibi ex oraculo uoce diuina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus tempora, hunc si tolleret,
Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.
Sint haec, ut dixi, somnia fabularum: hisq. adiungatur

tur etiam Aeneae somnium: quod in Numerij Fabij Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeq. illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem uisa sunt. Sed propiora uideamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquinij somnium, de quo in Bruto Attij loquitur ipse? Cum iam quieti corpus nocturno impetu Dedi, sopore placans artus languidos, visum est in somnijs, pastorem ad me appellere. Pecus lanigerum eximia pulchritudine, Duos consanguineos arietes inde eligi, Praeclarioremq. alterum immolare me: Deinde eius germanum cornibus connitier In me arietare, eoq. iccu me ad casum dari. Exin prostratum terra grauius saucium, Resupinum, in caelo contueri maximum, ac Mirificum facinus, dextrorsum orbem flammis Radiatum solis liquier cursu nouo. eius igitur somnij quae sit a coniecturis interpre-

tatio facta, uideamus.
Rex, quae in uita usurpant homines, cogitant, curant, uident,
Quaeq. agunt uigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirum est: sed in re tanta haud temere improviso offerunt:
Proin uide, ne, quem tu esse hebetem deputes aequae ac pecus,
Is sapientia munitum peccus egregium gerat,
Teq. regno expellat. nam id, quod de Sole ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore.
Per propinqua haec bene uerruncent populo, nam, quod ad dexteram
Coepit cursum ab laeua signum praepotens, pulcherrime auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

EXPLANATIO

EXCITA tum tremulis & Carmina Ennij poetae de somnio uirginis Vestalis. *Excita*: uelox, & sedula. *EVRYDICA* prognata & orta ex Eurydica. *NOVOS*. & insuetos. *POSTILLA* & deinde. *AERVMNAE* & calamitates. *MVLTA* & multum. *CAELI* *templa* & caeli conuexa. *COMMENTICIVM*, & fictum. *QVIA* mater & Versus sunt Ennij in Hecuba tragoedia. *HECVBA* & filia fuit Cissei, hinc Virgil.

Nec face tantum Cisseis praegnans, ignes enixa iugales.

FACEM & ignitum lignum. *PERCVLSVS* & territus, consternatus animo. *CONIECTOREM* & interpretem. *IBI* & tunc. *ORACLO* & sacrario. *DIVINA* & fatidica. *APOLLO*, puerum, & haec est somnij interpretatio. In Numerij Fabij & Antea, mendose, Innumerum Fabij, nos ex antiquis libris restitimus. tres enim Fabij Pictores fuere, clari omnes antiquitatis notitia, *Quinctus*, Numerius, Seruius: quorum antiquissimus *Quinctus*, nominantur a Lilio, Agellio, Macrobio, Orofio, Nonio, Cicerone. Haec Paullus pater. *SECVDVM* quietem & per quietem. *DE* quo ipse & Tatquinius loquitur de suo somnio apud Attium in tragoedia, quae inscribatur Brutus. *PLACANS* & refouens.

VISVM est in somnijs, pastorem ad me appellere

Pecus lanigerum eximia pulchritudine,

Duos consanguineos arietes inde eligi,

Hos uersus, qui antea praepotero ordine collocati legebantur, ita digerendos esse, admonuit Muretus in annotationibus, quas in Terentium edidit. Haec Paullus pater. *Appellere*: adducere. *CONNITIER* & conatum facere, ac impetum. *ARIETARE* & aduersa fronte irruere. *NOVO* & insueto, quoniam a laeua currebat in dextram. *A coniecturis* & ab interpretibus. *VSRPANT* & frequenter exercent. *AGITANT* & animo uoluunt. *MINVS mirum est*: & Haec tota somnij interpretatio constat e septenarijs. itaque non intelligo, quid spectauerint ij, qui ueterem lectionem mutarunt, & pro, Minus mirum est, legere maluerunt, Minus mirandum est. Haec Paullus pater. *HAUD temere* & non sine causa. *HEBETEM* & obtusum, crassi ingenij. *DEPVTES* & existimes. *AEQVE ac pecus*, & tamquam animal brutum. *MVNITVM* & armatum. *EGREGIVM* & nobile. *PORTENDIT* & denunciat. *PERPROPINQVA*, & impendentia, cito futura. *BENE uerruncent* & bene uertant: subaudi dij. *Auertuncare* est auertere; & *Auertuncus*, qui mala auertit. *SIGNVM praepotens*, & Sol, qui ceterorum siderum dominus est. *AVGRATVM est*, & significatum est. *SVMMAM* & praepotentem.

CICERO

AGE nunc ad externa redeamus. Matrem Pbalariidis, scribit Ponticus Heraclides, doctus uir, auditor, & discipulus Platonis, uisam esse uidere in somnijs simulacra deorum, quae ipsa Pbalariidis domi consecrauisset: ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem uisum esse fundere: qui cum terram attigisset, referescere uideretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. quod matris somnium immanis filij crudelitas comprobauit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex

Dionysij Persicis libris proferam? nam, cum dormienti ei Sol ad pedes uisus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus, cum se conuoluens Sol elaberetur, & abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientum, & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione Solis, xxx annos Cyrum regnaturum esse, portendi. quod ita contigit. nam ad lxx peruenit, cum xl natus annos regnare coepisset. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus praesentens, atque diuinans: si quidem ad mortem proficiscens Calanus

Ianus Indus cum adscenderet in rogam ardentem, O praeclarum discesum, inquit, e uita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. cumq. Alexander eum rogaret, si quid uellet, ut diceret: Optime, inquit: propediem te uidebo quod ita contigit: nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somnijs; ad quae mox reuertar. Qua nocte templum Epeſiae Dianae deſtraxit, eadem conſtat ex Olympiade natum eſſe Alexandrum, atque, ubi luere coepiſſet, clamitaſſe magos, peſtem, ac perniciem Aſiae proxima nocte natam. Haec de Indis, & magis: redeamus ad ſomnia. Hannibalem Coelius ſcribit, columnam auream, quae eſſet in fano Iunonis Laciniae, auferre uellet, dubitaretq. utrum ea ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata, perterebrauiſſe: cumq. ſolidam inueniſſet, ſtatuiſſetq. tollere, ſecundum quietem uiſam eſſe ei Iunonem praedicere, ne id faceret, munitarique, ſi id feciſſet, ſe curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene uideret, amitteret: idq. ab homine acuto non eſſe neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum eſſet baculam curae faciendam, & eam in ſumma columna collocauiſſe. hoc idem in Sileni, quem Coelius ſequitur, Graeca hiſtoria eſt. is autem diligentiffime res Hannibalis perſecutus eſt. Hannibalem, cum cepiſſet Saguntum, uiſum eſſe in ſomnijs a Ioue in deorum concilium uocari: quo cum ueniſſet, Iouem imperaſſe, ut Italiae bellum inferret, ducemq. ei unum ex concilio datum: quo illum uentem, cum exercitu progredi coepiſſe: tum ei ducem illum praeciſiſſe, ne reſpiceret: illum autem id diutius facere non potuiſſe, elatumq. cupiditate reſpexiſſe: tum uiſam belluam uasſam, & immanem, circumſcriptam ſerpentibus, quacumque incederet, omnia arbuſta, uirgulta, teſta peruertere: & eum admiratum quaeſiſſe de deo, quidnam illud eſſet tale monſtrum; & deum reſpondiſſe, uasſitatem eſſe Italiae; praeciſiſſeque, ut pergeret protinus; quid retro, atque a tergo feret, ne laboraret. Apud Agathoclem ſcriptum in hiſtoria eſt, Hamilcarem Carthaginienſem, cum oppugnaret Syracuſas, uiſum eſſe audire uocem, ſe poſtridie cenaturum Syracuſis: cum autem is dies illuxiſſet, magnam ſeditionem in caſtris eius inter Poenos, & Siculos milites eſſe factam: quod cum ſenſiſſent Syracuſani, improuiſo eos in caſtra irrupiſſe, Hamilcaremque ab ijs uiuum eſſe ſublatum. ita res ſomnium comprobauit. Plena exemplorum eſt hiſtoria, tum reſerta uita communis. At uero P. Decius ille, Q. filius, qui primus e Decijs conſul fuit, cum eſſet tribunus mil. M. Valerio, &

A. Cornelio cos. a Samnitibusq. premeretur noſter exercitus; cum pericula proeliorum iniret audacius, monebaturque, ut caucior eſſet, dixit, quod exſtat in annalibus; ſibi in ſomnijs uiſum eſſe, cum in medijs hoſtibus uerſaretur, occidere cum maxima gloria. & tum quidem incolumis exercitum obſidione liberauit. poſt triennium autem, cum conſul eſſet, deuouit ſe, & in aciem Latinorum irrupit armatus. quo eius facti ſuperati ſunt, & deſeti Latini. cuius mors ita glorioſa fuit, ut eandem concupiſceret filius. Sed ueniamus nunc, ſi placet, ad ſomnia philoſophorum. Eſt apud Platonem Socrates, cum eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni, ſuo familiari, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum, uidiſſe ſe in ſomnijs pulchritudine eximia feminam, quae ſe nomine appellans diceret Homericum quendam eiſmodi uerſum: Tertia te Pythiae tempeſtas laeta locabit.

quod ut eſt dictum, ſic ſcribitur contigiſſe. Xenophon Socraticus, qui uir, & quantus, in ea militia, qua cum Cyro minore profunſus eſt, ſua ſcribit ſomnia: quorum exitus mirabiles exſtiterunt. mentiri Xenophontem, an delirare dicemus? quid, ſingulari uir ingenio, Ariſtoteles, & paene diuino, ipſe ne errat, an alios uult errare, cum ſcribit Eudemum Cyprum, familiarem ſuum, iter in Macedonia facientem Pheras ueniſſe; quae erat urbs in Theſſalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur: in eo igitur opido ita grauitate aegrum Eudemum fuiſſe, ut omnes medici diſſiderent: ei uiſum eſſe in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore, ut breui conualeſceret, paucisq. diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipſum autem Eudemum quinquennio poſt domum eſſe rediturum. atque ita quidem prima ſtatim ſcribit Ariſtoteles conſecuta, & conualuiſſe Eudemum, & ab uxoris fratris interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum eſſet ſpes ex illo ſomnio in Cyprum illum ex Sicilia eſſe rediturum, proliantem cum ad Syracuſas occidiſſe: ex quo ita illud ſomnium eſſe interpretatum, ut, cum animus Eudemi ex corpore exceſſerit, tum domum reuerſiſſe uideatur. Adiuugamus philoſophis doctiſſimum hominem, poetam qui dem diuinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea grauis ſurrepta eſſet, in ſomnijs uidiſſe ipſum deum dicentem qui id feciſſet, quod ſemel ille, iterumq. neglexit. ubi idem ſaepius, adſcendit in Ariopagum, detulit rem. Ariopagitae comprehendebant eum, qui a Sophocle erat nominatus. is, quaeſtione adhibita, confeſſus eſt, pateramq. retulit. quo facti, ſanum illud Indicis Herculis nominatum eſt.

EXPLANATIO

AD externa; ad peregrina, de quibus exempla ponere ceperamus. REDVNDARET; plena eſſet. Immanis filij feri, & crudeliſſimi Phalaridis, qui Agragantum Siculum tyrannide occupauit. PRINCIPES; primo: fuit enim alius Cyrus, quem Xenophon ſuis monumentis celebrauit. APPETUIſſE; tentate capere. CALANVS; Calanus, inquit Sudaſ, e numero Brachmanum: ſic enim appellant Indi ſapientiſſimum uirum. UT Herculi contigit; in Oeta monte. COELIVS; Coelius Antipater Romanus hiſtoricus: de quo etiam in Bruto. IYNONIS Laciniae; Iunonis in Lacinio promontorio Lucaniae. ibi prope templum dictum fuiſſe locum proceris abietibus ſaeptum. SOLIDA; tota aurea. SECVDVM quietem; per ſomnum. BYCVLAM; imaginem uitulae. PERSECVTVS eſt; deſcripſit. CONCILIUM; conſeſſum. VASTAM, magnam.

magnam. IMMANEM ꝛ fetam. PERVERTERE ꝛ profternere. VASTITATEM ꝛ defolationem. PROTI-
NVS ꝛ fatim, sine intermissione. NE laboraret ꝛ non curaret. HAMILCAREM Carthaginienſem ꝛ Giſgonis fi-
lium. REFERTA ꝛ plena. PRIMERETVR ꝛ obliſderetur iniquitate loci, & hoſtili agmine. OCCIDERE ꝛ
mori. DEVOVIT ſe, ꝛ morti ſe addixit, pro ſalute patriae. Hoc autem fuit ad Veſerim Campaniae. In cu-
ſtodia publica, ꝛ in carcere. TERTIA TE Phthiae & c. ꝛ Achilles apud Homerum IX. Iliad. ita loquitur:
Quod ſi Neptunus tribuerit ſecundam mihi nauigationem, tertio die fertilem Phthiam attingam. TERTIA
tempeſtas laeta: ꝛ tertia dies iucunda. QVI uir, ꝛ quam praeſtans uir. CYRO minore ꝛ ad differentiam Cy-
ri maioris, de quo paulo ſupra. NOBILIS, ꝛ celebris. AB uxoris fratribus ꝛ uide Plutarch. in Pelopida. IN
Ariopagum ꝛ in ſenatum. Ariopagus erat locus publici conſilij in ſummitate collis, & Ariopagitae ſenato-
res, & iudices. DETVLIT ꝛ aperuit, & reum fecit furem. QVAESTIONE ꝛ inquisitione. INDICIS ꝛ de-
monſtratoris.

CICERO

SED quid ego Graecorum? neſcio quo modo magis
me noſtra delectant. omnes hoc hiſtorici, Fabij,
Gellij, ſed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi uo-
tium maximi primum fierent, ciuitas ad arma repen-
te eſt excitata. itaque, ludis intermiſſis, inſtaurati-
ui conſtituti ſunt. qui ante quam fierent, cumq. iam
populus conſediſſet; ſeruus per circum, cum uirgis
caederetur, ſurcam ferens ductus eſt. exin cuiſdam
ruſtico Romano dormienti uiſus eſt uenire, qui dice-
ret, praefultorem ſibi non placuiſſe ludis, idq. ab
eodem iuſum eſſe eum ſenatu nunciare; illum non
auſum: iterum eſſe idem iuſum, & monitum, ne
uim ſuam experiri uellet; ne tum quidem eſſe au-
ſum; exin filium eius eſſe mortuum: eandem in ſom-
nijs admonitionem fuiſſe tertiam; tum illum etiam
debilem factum, rem ad amicos detuliſſe, quorum de
ſententia lecticula in curiam eſt delatum; cumq. ſe-
natus ſomnium enarrauiſſet, pedibus ſuis ſaluum re-
uertitſe. itaque, ſomnio comprobato a ſenatu, ludos
illos iterum inſtauratos, memoriae proditum eſt. C.
uero Gracchus multis dixit, ut ſcriptum apud eun-
dem Coelium eſt, ſibi in ſomnijs quaerituram perenti
Tiberium fratrem uiſum eſſe dicere, quam uellet cum
ſtaretur, tamen eodem ſibi leto, quo ipſe interiiſſet,
eſſe pereundum. hoc, ante quam tribunus pl. Grac-
chus factus eſſet, & ſe audiſſe ſcribit Coelius, &
dixiſſe multis. quo ſomnio quid inueniri poteſt cer-
tius? Quid? illa duo ſomnia, quae creberrime com-
memorantur a Stoicis, quis tandem poteſt contemne-
re? unum de Simonide: qui cum ignotum quendam
proiectum mortuum uidiſſet, eumq. humaniſſet, ha-
beretq. in animo nauem conſcendere, moneri uiſus
eſt, ne id faceret, ab eo, quem ſepultura affecerat:
ſi nauigaſſet, eum naufragio eſſe periturum: itaque
Simonidem rediſſe; periſſe ceteros, qui tum nauig-
aſſent. Alterum ita traditum, clarum admodum
ſomnium: cum duo quidam Arcades familiares iter
una facerent, & Megaram ueniſſent, alterum ad
cauponem diuertitſe, ad hoſpitium alterum: qui ut
cenati quieterent, concubia nocte uiſum eſſe in ſom-
nijs ei, qui erat in hoſpicio, illum alterum orare ut
ſubueniret, quod ſibi a caupone interitus pararetur:
eum primo perterritum ſomnio ſurrexiſſe: dein, cum
ſe collegiſſet, idq. uiſum pro nihilo habendum eſſe
duxiſſet, recubiſſe: tum ei dormienti eundem illum

uiſum eſſe rogare, ut, quoniam ſibi niuo non ſubue-
niſſet, mortem ſuam ne inultam eſſe pateretur: ſe
interfectum in plauſtrum a caupone eſſe coniectum,
& ſupra ſtercus iniectum: petere, ut mane ad por-
tam adeſſet, prius quam plauſtrum ex opido exi-
ret: hoc uero eum ſomnio commotum mane bubulco
praefecto ad portam fuiſſe; quaeriſſe ex eo, quid eſſet
in plauſtro: illum perterritum fuiſſe, mortuum
erutum eſſe, cauponem, re patefacta, poenas dedif-
ſe. Quid hoc ſomnio dici diuinius poteſt? Sed quid
aut plura, aut uetera quaerimus? ſaepe tibi meum
narraui: ſaepe ex te ſomnium audiui tuum: me,
cum Aſiae prouinciae praefecim, uidiſſe in quiete,
cum tu equo aduectus ad quandam magni fluminis
ripam, prouectus ſubito, atque delapſus in flumen,
nuſquam apparuiſſes, me contremuiſſe timore per-
territum: tum te repente laetum exiſtiſſe, eodemq.
equo aduerſam adſcendiſſe ripam, nosq. inter nos eſ-
ſe complexos. facilis coniectura huius ſomnij: mihiq.
a peritis in Aſia praedictum eſt, fore eos euentus re-
rum, qui acciderunt. uenio nunc ad tuum. Audiui
equidem ex te ipſo, ſed mihi ſaepe ſalluſtius noſter
narrauit: cum in illa fuga, nobis glorioſa, patriae
calamitoſa, in uilla quadam campi Atinatis mane-
res, magnamq. partem noctis uigilaſſes, ad lucem
denique arte, & grauiter dormire coepiſſe: ita-
que, quamquam inter inſtaret, te tamen ſilentium
fieri iuſſiſſe, neque eſſe paſſum te excitari: cum au-
tem experrectus eſſes hora ſecunda fere, te ſibi ſom-
nium narrauiſſe: uiſum tibi eſſe, cum in locis ſolis
maeſtus errares, C. Marium cum ſciſibus laureatis
quaerere ex te, quid triſtis eſſes: cumq. tu te tua pa-
tria ui pulſum eſſe dixiſſes, prehendiſſe eum dex-
tram tuam, & bono animo te iuſſiſſe eſſe, licetoriq.
proximo tradidiſſe, ut te in monumentum ſuum de-
duceret; & dixiſſe, in eo tibi ſalutem fore. tum &
ſe exclamaſſe. ſalluſtius narrauit, reditum tibi ce-
lerem, & glorioſum paratum, & te ipſum uiſum
ſomnio delectari. nam illud mihi ipſi celeriter nun-
ciatum eſt: ut audiuiſſes, in monumento Marij de
tuo reditu magnificentiſſimum illud S. C. eſſe fa-
ctum, referente, optimo, & clariffimo uiro, conſule,
idq. frequentiffimo theatro, incredibili clamore, &
plauſu comprobatum: dixiſſe te, nihil illo Atinatis
ſomnio fieri poſſe diuinius.

EXPLANATIO

LVDI *uotiu* ꝛ Vide Dionysium Halicarnassenum . **SERVVS** ꝛ Antonij uidelicet, ut scribit Lactantius . **PER circum** ꝛ scilicet Flaminium , in quo tunc ludi celebrabantur . **PRAESVITOREM** ꝛ primum saltantem . **DEBILEM factum** ꝛ Liuius inquit, Ingens uis morbi adorta est debilitate subita . **QVAM uellet** ꝛ quantum uellet . **EODEM leto** ꝛ eodem genere mortis, impetu scilicet populi . **PROIECTVM** ꝛ expositum, & abiectum . **CLARVM admodum** ꝛ ualde manifestum . **ARCADES** ꝛ Arcadia est in Peloponneso . **MEGARAM** ꝛ Megara urbs est media inter Peloponnesum, & Atticam regionem . **AD hospitem** ꝛ amicum . **CONCVBIA nocte** ꝛ noctis silentio : ea noctis parte, quae quieti data est : cum fere omnes cubarent . **SE collegisset**, ꝛ animum timore solum resumpsisset . **VISVM** ꝛ quod ei apparuerat . **ME, cum Asiae** ꝛ Enarrat q. Cicerone somnium suum, ut naturalem diuinationem confirmet . **EXISTITISSE** ꝛ apparuisse . **ADVERSAM** ꝛ oppositam . **SALLYSTIVS noster** ꝛ subaudi, Libertus . **GLORIOSA** ꝛ gloria digna : quia a pessimis uiris pulli . **PATRIAE calamitosa** ꝛ quia expulsi illius salutem tueri non poteramus . **CAMPI Atinatis** ꝛ agri Atinatis . Est autem Atina Campaniae opidum, quod adhuc retinet idem nomen . **AD lucem** ꝛ prope auroram . **ARCTE**, ꝛ profunde . **INSTARET**, ꝛ necessarium esset . **EXPERRECTVS esses** ꝛ a somno per te ipsum euigilasses . **SIBI** ꝛ Sallustio liberti tuo . **LAVREATIS** ꝛ lauro redimitis consulatus insignibus . **LICTORI** ꝛ ministro . **IN monumentum suum** ꝛ In aedem, in qua exstaret Marij memoria . Auctor est Val. Max. Senatufconsultum de restituendo Cicerone factum fuisse in aede Iouis Mariana . **MAGNIFICENTISSIMVM** ꝛ gloriosissimum . **CLARISSIMO uiro** ꝛ scilicet Lentulo Ciceronis amico . **THEATRO** ꝛ populi conuentu, & spectaculo . **PLAVSV** ꝛ laetis acclamationibus fauentis populi .

CICERO

AT multa falsa, immo obscura fortasse nobis . sed sint falsa quaedam: contra uera quid dicimus? quae quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus. nunc onuslibi cibo, & uino, perturbata, & confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. dicit enim: Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis, & rationis particeps sit, sopita langueat; illa autem, in qua feritas quaedam sit, atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupescit potu, atque pastu, exsultare eam in somno, immoderateque iactari. itaque huic omnia uisa obijciuntur a mente, ac ratione uacua: ut aut cum matre corpus miscere uideamur, aut cum quouis alio uel homine, uel deo, saepe bellua, atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaque facere impure, atque taetra, cum temeritate, atque impudentia. at, qui salubri, & moderato cultu, atque uictu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis, & consilij est, agitata, & erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quae uoluptate alitur, nec inopia eneata, nec satietate affluenti; quorum utrumque praestringere aciem mentis solet; siue deest naturae quippiam, siue abundat, atque effluit; illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata, atque resincta: tum eueniet, duabus animi temerarijs partibus compressis, ut illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & se uegetam ad somniandum, ac remque praebat: tum ei uisa quietis occurrent tranquilla, atque ueracia. Haec uerba ipsa Platonis expressi. Epicurum igitur audiemus potius? nam Carneades, concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. at ille quid sentit? sentit autem nihil unquam elegans, nihil decorum. hunc ergo antepones Platoni, & Socrati? qui, ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos nincerent. iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat. ex quo etiam Pythagoricis interdicitum puta-

tur, ne faba uescerentur, quod habet inflationem magnam in cibis, tranquillitati mentis, quaerenti uera, contrariam. Cum ergo est somno seuocatus animus a societate, & contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia corripit, futura prouidet. iacet enim corpus dormientis, ut mortui: uiget autem, & uiuit animus. quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit. itaque, appropinquante morte, multo est diuinius. nam et id ipsum uident, qui sunt morbo graui, & mortifero affectu, instare mortem. itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumque uel maxime laudi student: eosque, qui secus quam decuit uixerunt, peccatorum suorum tum maxime paenitet. Diuinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo assert, Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset: sed tribus modis censet deorum appulsu homines somnare: uno, quod prouidebat animus ipse per sese, quippe qui deorum cogitatione teneatur: altero, quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tamquam insingitae notae ueritatis appareant: tertio, quod ipsi dii cum dormientibus colloquantur: idque, ut modo dixi, facilius euenit appropinquante morte, ut animi futura augerentur. ex quo & illud est Calani, de quo ante dixi; & Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat. neque enim illud uerbum temere consuetudo approbasset, si ea res nulla esset omnino.

Praesagibat animus frustra me ire, cum exirem domo. sagire enim, sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire uolunt, & sagaces dicti canes. is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est futura ante sentire. inest igitur in animis praesagitio, extrinsecus iniecta, atque inclusa diuinitus. ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur.

EXPLA-

EXPLANATIO

INTEGRIS sobrii, absque perturbationibus. POLITIA in libris de rep. MENTIS Intelligentiae. RATIONIS recti discursus. FERITAS ferinus sensus, quem inferius Rationem uacuum nominat. AGRESTIS immanitas, indomita crudelitas. OBSTYFECTA maxime affecta. cum, inquit, incaluerit potu, atque potu. EXSVLTARE laetitia gestire, iactari, & quasi fluctuare. RATIONE uacua fatuitate irrationali, motu, siue ferino sensu. IMPVRE obscene. TAETRE crudeliter. SALVBRIS utili. CVLTV exercitio. VICTV cibo, & potu. AGITATA commota, excitata. ENECTA prostrata. PRAESTRINGERE obtenebrare. EXSISTIT inest. SEDATA mitigata. TEMERARIIS impetuosus. COMPRESSIS contractis. VEGETAM uiuacem. ACREM robustam. QUIETIS somni. TRANQVILLA laeta, pacata. SENTIT statuit. ELEGANS ratione subnixum. DECORVM pulchrum, philosopho dignum. VT quamuis. MINVTOS paruae auctoritatis. AFFECTIS dispositis. SEVOCATVS liberior factus. CONTAGIONE pollutione. PROVIDET praefagit, prospicit, diuinat. DIVINIOR purior. INSTARE imminere. OCCVRRVNT apparent. LAVDI student rebus laudandis incumbunt operam. AEQVALES eiusdem aetatis. DEINCEPS successine. APPLSV inspiratione. COGNATIONE naturali similitudine. TENEATVR constet. INSIGNITAE impressae. AVGVRENTVR diuinent. HOMERICI ab Homero inducti XXI. Iliad. EA res ipsa diuinatio, prouidentia, praefagitio. PRAESAGIBAT animus carmen est Plauti in Aulularia fabula. SAGAE peritae, sensum acutum habentes: proprie tamen Saga dicitur mulier perita sacrorum. SAGACES odoratus acumine praesentientes. SAGIT sentit, quasi canis, qui per olfactum inuestiget. OBLATA oculis praesentata. PRAESAGITIO praesentio. INEST igitur &c. Ita uidetur dicere: In animis praefagitio inest, diuinitus inclusa: quae tamen est extrinseca, siue caelestis, sed spiritu ducta, ipsi animae iniecta est. ACRIVS uehementius. FVRORE mentis concitatio, & feror. A corpore, quod terrestrius est, atque semper manentis naturae. ABSTRACTVS auulsus. DIVINO instinctu diuino impulsu.

CICERO

SED quid oculis rapere uisa est derepente ardētibus? ubi illa paullo ante sapiens uirginali modestia? Mater optima, tum multo mulier melior, Missa sum superstitiosis hariolationibus: Neque me Apollo fatis sandis dementem inuitam ciet: Virgines uero aequales, patris mei meum factum pudet, Optimi uiri, mea mater, tui me miseret, mei piget. Optimum progeniem Priamo reperisti extra me, hoc dolet, Me obesse, illos prodesse; me obistere, illos obsequi. o poema tenerum, & moratum, atque molle. sed hoc minus ad rem illud, quod uolumus, expressum est, ut uaticinari furor uera soleat. Adest, adest fax obuoluta sanguine, atque incendio. Multos annos latuit. ciues ferre opem, & restinguere. deus inclusus corpore humano, iam non Cassandra loquitur. Iamq; mari magno classis cita Texitur, exitium examen rapit: Aduenit, & fera uelivolantibus Naibus compleuit manu litora. traegodias loqui uideor, & fabulas. at ex te ipso non commenticiam rem, sed factam, eiusdem generis audiui: C. Coponium ad te uenisse Dyrrhachium, cum praetorio imperio classi Rhodiae praesisset, cum primis hominem prudentem, atque doctum: cumq; dixisset, remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum uaticinatum, madefactum iri minus xxx diebus Graeciam sanguine; rapinas Dyrrhachii, & consensionem in naves cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi propin-

quam reditum, ac domum itionem dari. tum neque te ipsum non esse commotum; Marcumq; Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, uehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga uenisse Labienum: qui cum interitum exercitus nunciasset, reliqua uaticinationis breui esse confecta. nam & ex horreis direptum, effusumq; frumentum uis omnes, angiportusq; constrauerat: & uos naues subito perterriti metu conscendistis: & noctu ad opidum respicientes, flagrantem onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, uidebatis: postremo, a Rhodia classe deserti, uerum uatem fuisse sensistis. Exposui, quam breuissime potui, somnij, & furoris oracula, quae carere arte dixeram. quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet, animos hominum quaedam ex parte extrinsecus esse tractos, & haustos. ex quo intelligitur, esse extra diuinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis seingratam: quae autem pars animi rationis, atque intelligentiae sit particeps, eam tum maxime uigere, cum plurimum absit a corpore. itaque ex ipsis exemplis uerarum uaticinationum, & somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo. Si sine oculis non potest exstare officium, & munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui uel semel ita est usus oculis, ut uera cerneret, is habet sensum oculorum uera cernentium. item igitur, si sine diuinatione non potest & officium, et munus diuinationis exstare; potest autem quis, cum diuinationem habeat, errare aliquando, nec uera cernere: satis est ad confirmandam diuinatio.

diuinationem, semel ita esse aliquid diuinatum, ut nihil fortuito cecidisse uideatur. sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur diuinationem confidendum est.

EXPLANATIO

SED quid oculis? Verba sunt Hecubae apud Paciuum, de Cassandra filia ab Apolline concitata. **AR-**
DENTIBVS? furore inflammatis **SAPIENS?** mentis solidae, integrae. **VIRGINALI modestia?** & pu-
dore integritati uirginum congruo. Decet enim, ut uirgo semper metuat de aliquo casu turpi. **MATER OF-**
tuma? uerba sunt Cassandreae ad Hecubam **OPTVMA?** integerrima. **MISSA sum?** & impulsus sum. **SV-**
PERSTITIOSIS hariolationibus: & religiosis & maximis impulsuibus. **APOLLO?** uaticinij deus. **FATIS**
fundis? ad enunciandum futura. **DEMENTEM?** non integrae mentis. **CIBET?** & concitat, impellit. **VIR-**
GINES aequales patris mei optimi uiri &c. hoc est, Filias patris mei Priami optimi uiri, atque uirgines
ut ego, pudet factum meum, quia scilicet uident me furentem. **Tui me miseret,** cui annuncio miseriam.
MEI piget, quia, quasi non bonis moribus instituta, ea praedico matri, & meis omnibus, quae mihi etiam
displicent. **OPTVMAM?** integerrimis moribus institutam. **EXTRA me?** praeter me unam. **OBSTARE?**
praedicere aduersa. **ILLOS?** reliquam tuam progeniem. **TENERVM?** & delicatum. **MORATVM?** hone-
stis moribus plenum. **SED hoc?** sed haec poematis dotes. **Ad rem?** ad propositam inquisitionem, an furor
soleat uera uaticinari. **ADEST, adest?** Verba sunt Cassandreae uaticinantis de Paride aduehente Helenam.
FAX obuoluta sanguine, & incendio? lignum cruentum, & inflammatum, cuiusmodi Hecuba se parere
somniauerat. **EXAMEN?** exercitus classe Graecorum aduectus. **FERA manus?** uis militum ferocium.
FACTAM? ueram. **EIVSDEM generis?** scilicet uaticinij per furorem, & extasim. **DYRRHACHIVM?**
urbs est Illyrica, quae etiam Epidamnus uocata est. **COMMOTVM?** & territum. Ex *Pharsalica fuga* & ex con-
flictu in agro Pharsalio. Est autem Pharsalus urbs Thessaliae: unde Pharsalius, Pharsalis, & Pharsalia. **AN-**
GIPORTVS? legit Nonius, Angiporta. *Angiportus:* angustus portus. **CONSTRAVERAT?** & repleuerat.
ONERARIAS? quae oneribus tarde agi possunt. **DESERTI,** & desituti. **ORACVLA?** uaticinia. **VNA ra-**
tio? unica causa est. **QVADAM ex parte,** scilicet, quo ad rationem atque intelligentiam. In hanc senten-
tiam Horatius animam appellat diuiniae auras particulam. **HVMANI autem animi?** Ponit animam senti-
tiuam, dantem motus, & appetitum. **SENSVM,** & uim quinque sensuum. **MOTVM,** & corporeum, quem ho-
mo habet cum ceteris animantibus communem. **SEIUGATAM?** separatam, distinctam. **VIGERE?** ui-
res proprias ostendere. **ABSIT?** separata sit. **VATICINATIONVM,** & praedictionum per furorem. **RA-**
TIONEM? argumentum. **EXSTARE?** & esse, subsistere. **FORTVITO?** casu quodam.

CICERO

QVAE uero aut coniectura explicantur, aut euen-
tis animaduersa, et notata sunt, ea genera diui-
nandi, ut supra dixi, non naturalia, sed arti-
ficiose dicuntur. in quo haruspices, augures, conie-
ctoresq. numerantur. haec improbantur a Peripate-
ticis, a Stoicis defenduntur. quorum alia sunt posita
in monumentis, & disciplina; quod Etruscorum de-
clarant & haruspici, & fulgurales, & rituales li-
bri, nostri etiam augurales: alia autem subito ex tem-
pore coniectura explicantur, ut apud Homerum Cal-
chas, qui ex passerum numero belli Troiani annos au-
guratus est: & ut in Sisennae scriptum historia uide-
mus, quod te inspectante factum est, ut, cum Sulla in
agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima
ara subito anguis emergeret. cum quidam C. Postu-
mius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exer-
citum educeret; id cum Sulla fecisset, tum ante opi-
dum Nolam florentissima Samnitum castra cepit.
Facta coniectura etiam in Dionysio est paullo ante
quam regnare coepit: qui cum per agrum Leontinum
iter faciens, equum ipse dimisisset in flumen; summer-
sus equus uoraginibus non exstitit: quem cum maxi-
ma contentione non potuisset extrahere, discessit, ut
ait Philistus, aegre ferens. cum autem aliquantulum
progressus esset, subito exaudivit hinnitum, respexit-
que, & equum alacrem laetus adspexit, cuius in iu-
ba examen apum confederat. quod ostentum habuit
hanc uim, ut Dionysius paucis post diebus regnare

coeperit. Quid? Lacedaemonijs paullo ante Leuctri-
cam calamitatem quae significatio facta est, cum in
Herculis fano arma sonuerunt, Herculesq. simula-
crum multo sudore manauit? at eodem tempore The-
bis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis ualuae
clausae repagulis, subito se ipsae aperuerunt, arma-
que, quae fixa in parietibus fuerant, ea humi sunt
inuenta. cumq. eodem tempore apud Lebadian Tro-
phonio res diuina fieret, gallos gallinaeos in eo loco
sic assidue canere coepisse, ut nihil intermitterent:
tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse ui-
ctoriam; propterea quod auis illa uicta silere solet,
canere si uicisset. eademq. tempestate multis signis
Lacedaemonijs Leuctricae pugnae calamitas denun-
ciabatur. namque & Lysandri, qui Lacedaemonio-
rum clarissimus fuerat, statuae, quae Delphis stabat,
in capite corona subito exstitit ex asperis herbis, &
agrestibus: stellaeq. aerae, quae Delphis erant a La-
cedaemonijs positae post naualem illam uictoriam Ly-
sandri, qua Athenienses conciderunt; qua in pugna
quia Castor, & Pollux cum Lacedaemoniorum clas-
se uisi esse dicebantur, eorum insignia deorum stel-
lae aureae, quas dixi, Delphis positae; paullo ante
Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertae sunt.
maximum uero illud portentum ipsdem Spartiatis
fuit, quod, cum oraculum ab Ioue Dodonaeo peti-
uissent, de uictoria sciscitantes, legatij illud, in
quo ierant sortes, collocauissent, simia, quam rex
Moloso-

Molossorum in delicijs habebat, & sortes ipsas, & cetera, quae erant ad sortem parata, disturbauit, & aliud alio dissipauit. tum ea, quae praeposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemonij esse, non de uictoria, cogitandum. Quid bello Punico secundo? non ne C. Flaminius, consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reip. & qui, exercitu lustrato, cum Arretium uersus castra mouisset, & contra Hannibalem legiones duceret, & ipse, & equus eius ante signum Iouis Statoris sine causa repete concidit; nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis uidebatur, ne committeret proelium. idem, cum tripudio auspiciaretur, pullarius diem proclij committendi differebat. tum Flaminius ex eo quae fuerat, si ne postea quid pul-

li pascerentur, quid faciendum censeret. cum ille quiescendum respondisset; Flaminius, Praeclara uero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. itaque signa conuelli, & se sequi iussit. quo tempore, cum signifer primi hastati signum non posset mouere loco, nec quidquam proficeret, plures cum accederent: Flaminius, re nunciata, suo more neglexit: itaque tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo ipso tempore, cum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusq. insulis, totaq. in Italia factos esse, ut multa opida corruerint, multis locis labe facta sit, terraeq. desederint, fluminaq. in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerint.

EXPLANATIO

QVAE uero? Transit Quintus Cicero a naturali diuinatione ad artificialem. MONUMENTIS & libris. DISCIPLINA & scientia usu comparata. NOSTRI & ita dicit, quia in augurorum numero erat M. Tullius Cicero. Ex tempore & pro qualitate temporis. Ex passerum numero & quoniam, ut in secundo Iliad. canit Homerus, octo erant pulli, & mater nona. AVGVRAVS est & diuinauit. SISENNAE historia & fuit hic ciuis Romanus & historiographus. TE inspectante & quoniam in bello sociali Cicero militauit sub Sulla consule. ANTE praetorium & ante militare tabernaculum Sullae, quod adhuc praetorium dicebatur praetoribus, qui initio bella gerere consueuerant. LEONTINVM & Leontij urbs Siciliae. VORAGINIBVS & aquarum uorticibus. PHILISTVS & historicus Syracusanus. ALACREM & uigentem. VIM & significationem. LEVTRICAM & Apud Leucram Boeotiae opidum, ubi Lacedaemonij profligati fuere ab Epaminunda Thebanorum duce. CALLISTHENES & hic, auctore Suda, fuit ex Olyntho, quae est urbs Thraciae. REPAGVLIS & obicibus, seris, & pessulis. APVD Lebadiam Trophonio res diuina fieret & Lebadia opidum Boeotiae, ubi erat Iouis Trophonij oraculum, quod hiatus subterranei descensum haberet. Vide Titum Liuium quinto quintae decadis libro, Strabonem in IX. Sudam, & alios. TEMPESTATE, & tempore. STABAT & erecta erat. AB Ioue Dodonaeo & Dodonaeus Iuppiter celebris a Dodona Epiri urbe. Pomponius Mela lib. II. In Epiro inquit, Dodonaei Iouis templum & fons, ideo sacer, quod, cum sit frigidus, & immerfas faces sicut ceteri extinguat, ubi sine igni procul admoventur, accendit. SCISCITANTES, & quaerentes. SORTES, & In hoc loco Sortes ponuntur pro sententijs in pagella notatis, & in urnam coniectis, quae inde puerili manu educabantur, & in rem apte interdum cadebant, quasi numine, in cuius delubro siue luco id agebatur ita disponente, ut ipsa fors oraculum putaretur & fatum. AD sortem & ad fortilegij oraculum. DISTVRBAVIT & cofudit. ORACVLO, & templo siue luco, ubi responsa dabantur. CONSVL iterum & in secundo consulatu. LVSTRATO & expiato. SIGNVM & statuam. IOVIS Statoris & In X. ab V. C. apud Liuium legitur M. Atilium eos, cum aduersus Samnites atrox bellum esset, manus ad caelum tulisse, uoce clara, ita, ut exaudiretur, templum Iouis Statori uouisse, si constitisset a fuga Romana acies. Et in I. Romulum descripserat, ita dicentem: At tu pater deum, hominumque, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugamq. foedam sile: hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumentum sit posteris tua praesenti ope seruatum Urbem esse, uoueo. Quibus uerbis apparet, Iouem a militum firmitate & constantia Statoris nomen accepisse. SIGNIFER & ferensignum. PRIMV hastati & centurionis primi, qui primipilus, siue primus hastatus dicebatur. Vetus consuetudo tenuit, inquit Vegetius, ut ex primo principe legionis promoueretur centurio primi pili, qui non solum Aquilae praerant, uerum etiam quattuor centurias, hoc est C. D. milites gubernabant in prima acie. Hic, tamquam caput totius legionis, merita consequbatur, & commoda. NEC quidquam proficeret & frustra id tentaret. CVM accederent & quamuis accederent, ut eum loco mouerent. COELIVS, & annalium scriptor. LABES & hiatus rima. DESEDERINT & in profundum delapsae sint.

CICERO

FLVNT certe diuinationum coniecturae a peritis. Midiae illi Phrygi, cum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. ditissimum fore, praedictum est: quod euenit. At Platoni, cum in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedisent, responsum est, singulari illum suauitate orationis fore. ita futura eloquentia prouisa in infante est. Quid, amores, ac deliciae tuae, Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lannium totum mentiebatur? qui, cum esset

in cunabulis, educareturq. in Selonio, qui est campus agri Lanuini: noctu lumine apposito experrecta nutritrix animaduertit puerum dormientem circumplexa cum serpētis amplexu. quo adpectu exterrita clamorem sustulit. pater autem Roscij ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. atque hanc speciem Praxiteles caelauit argento, & nosler expressit Archias uersibus. Quid igitur expectamus? an, dum in foro nobiscum dii im-

morta-

mortales, dum in uis uersentur, dum domi, qui quidem ipsi se nobis non offerunt, uim autem suam longe, lateque diffundit: quam cum terrae cauernis includunt, tum hominum naturis implicant, nam terrae uis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. quid enim non uidemus, quam sint uaria terrarum genera & ex quibus & mortifera quaedam pars est, ut & Ampsancti in Hirpinis, & in Asia Pluronia, quae uidemus: & sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignat, aliae quae retusa, quae omnia sunt & ex caeli uarietate, & ex disparili adspiratione terrarum. Fit etiam saepe specie quadam, saepe uocum grauitate, & cantibus, ut pellantur animi uehementius: saepe etiam cura, & timore: qualis est illa,
Flexa anima tanquam lymphata, ut Bacchi sacris Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum. Atque etiam illa concitatio declarat uim in animis diuinam. negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse. quod idem dicit Plato, quem, si placet, appellet furorem, dum modo is furor ita laudetur, ut in Phaedro Platonis laudatus est. Quid uestra oratio in causis? quid ipsa actio? potest esse uehemens, & grauis, & copiosa, nisi est animus ipse commotior? eundem etiam in te saepe uidi, & ut ad leuiora ueniamus, in Aesopo, familiarium tuo, tantum ardorem uultuum, atque motuum, ut cum uis quaedam abstraxisset a sensu mentis uidebatur. Obijciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem, offerunt, quod contigisse Bræno dicitur, eiusque Gallie copijs, cum sano Apollinis

Delphici nefarium bellum intulisset. tum enim ferunt ex oraculo haec fatam esse Pythiam:
Ego prouidebo rem istam, & albae uirgines, ex quo factum, ut & uiderentur uirgines ferre arma contra, et niue Gallorum obrueretur exercitus. Aristoteles quidem eos etiam, qui ualetudinis uitio furent, & melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens, atque diuinum. ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, ne phreneticis, animi enim integri, non uitiosi corporis, est diuinitio, quam quidem esse reuera, hac Stoicorum ratione concluditur. Si sunt dii, neque ante declarant hominibus quae futura sunt: aut non diligunt homines: aut, quid euenturum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum, scire quid futurum sit: aut non censent esse suae maiestatis, praesignificare hominibus quae sunt futura: aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. at neque diligunt nos: sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, & designata sunt: neque nostra nihil interest scire ea, quae euentura sunt, erimus enim cautiore si sciemus: neque hoc alienum ducunt maiestate sua; nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscerere: non igitur sunt dii, nec significant futura. sunt autem dii: significant ergo: & non, si significant, nullas uias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significarent: nec, si dant uias, non est diuinitio: est igitur diuinitio. Haec ratione & Chrysippus, & Diogenes, & Antipater utitur.

EXPLANATIO

CONNECTRAE & interpretationes, iudicia. ROSCIVS & hic fuit Lanuuius, histriionum maximus. NABILVS & celebrius. NOSTER Archias & familiaritate nobis coniunctus; pro quo etiam exstatoratio Ciceronis. DVM uersentur, & quousque uersentur. VIM & efficaciam. PYTHIAM, naturae Sibyllam & Delphis urbe sita in Parnasso Phocidis monte Boeotiae, quem orbis umbilicum Graeci dixerunt, fuit Pythij Apollinis templum toto orbe terrarum celeberrimum: ubi Pythia uates, Phoebas etiam dicta, responsa Apollinis dabat: de quo oraculo, praeter alios, Diodorus Siculus lib. X. VI. Bibliothecae copiose disserit. Id oraculum primo ostensum est a capra, deinde redditum a pastoribus, demum a Pythia uirgine, tam diu, quoad ab Echecreate una uiolata, statutum est, ut ab annu, in habitu tamen puellae, redderentur in tripode sedente. Haec itaque anus in sacris perita, & fatidica, quia diuinum consilium mortalibus patefaciebat, dicta est Sibylla: quasi θεὸν βόυαν, & a scilicetandis oraculis dicta est Pythia, ἀπὸ τοῦ πυθδύεσθαι. IN Hirpinis, & Seruius in xi. Aeneidos, super illo,

Summe deum sancti custos Soraetis Apollo:
Soraetes, inquit, mons est Hirpinorum in uia Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolueretur, (nam manibus consecratus est) subito uenientes lupi exta rapuerunt: quos cum diu sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut iuxta stantes necaret. & inde orta pestilentia est, quia fuerant lupos secuti. de qua responsum fuit, posse sedari, si lupos imitarentur, hoc est si rapto uiuerent. quod postea quam factum est, dicti sunt populi Hirpini Sorani, nam Lupi, Sabinorum lingua Hirpi uocati. Sorani uero, a Dite, nam Ditis pater, eadem lingua Soranus dicitur. PLURONIA, quae uidemus: & Strabo de Hierapoli dicit, Os Pluronium in quodam imminenti montis supercilio ita est commensuratum, ut hominem suscipere possit, mira profunditate. Si animal circumpositum uallum ingrediatur, statim moritur, nos passeres immisimus, qui subito exspirant. Galli Cybele iacent, ut etiam usque ad os prodeant, introspiciant, & immergantur quousque possunt spiritum continere. Hierapolis uero, Stephanus inquit, est urbs inter Phrygiam, & Lydiam, calidis aquis redundans: sic dicta, quoniam multa habet sacra. CAELI uarietate & aeris diuersitate. Idem in i. de nat. de. Licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo, atque concreto. FIT etiam saepe & Ponit alios modos, & causas concitationis animorum. SPECIE quadam & aliqua apparente imagine, ut in lymphatis. VOCUM grauitate,

mitate, & cantibus ? ut in commotis Bacchi sacris. *CVRA, & timore* ? ut in tumultis eorum, quos amamus. *PELLANTVR* ? incitentur. *CVRA* ? maerore animi. *FLEXA anima* ? scripsi, Flexanima. Hic admonitus a filio meo sum, locum Varionis lib. vi. corrigi ex hoc loco posse, & ubi legitur Flexanimat aquam lymphata, legendum, Flexanima tamquam lymphata. Probauit eius opinionem. Haec Paullus pater. *Flexanima* : commota. Versus est Pacuuij in Tragoedia. *LYMPHATA* ? furens quasi nymphis exagitata, quas Prisci Lymphas dixere; hinc Lymphati nymphatum numine correpti. Proditum est memoriae, *Quicumque speciem quandam e fonte, id est, effigiem nymphae uiderent furendi finem non fecisse*. Nymphas Oceani Tethyos filias, & fluuiorum matres esse crediderunt, eisque mel offerri solitum, quia floribus delectantur, e quibus mel conficitur: e quorum opinione Virgil. illas flores colligentes, ait in his:

tibi lilia plenis

Ecce ferunt Nymphae calathis, tibi candida Nais

Pallantes uioas, & summa papauera carpens.

Mnaseas Patarentis Melissas Nymphas ait, mellis usum reperisse in Peloponneso ex fauo. Porphyrius, Veteres, inquit, Nymphas peculiari uocabulo Melissas appellabant, uidelicet, quod sint uoluptatis auctores in nobis. Nympha item pudendi pars est in mulieribus, quae ad uirilis interdum similitudinem excrescit, & arripitur, ut Iulius Pollux scribit. *VT Baccha* ? id est, mulier Bacchico numine afflata, & commota. Mnades, inquit Iuuenalis, crinem rotant ululante Priapo. *TVMVLIS* ? funeralibus. *SVVM* ? a se dilectum. *CONCITATIO* ? furibunda commotio animi. *MAGNUM* ? excellentem. *PLATONIS* ? subaudi libro. In Phaedro Plato sic scripsit: Tertia uero a Musis occupatio, & furor, suscipiens puram intactamq. animam, suscitatur illam, atque afflat. Qui autem sine furore Musarum poeticas ad fores accedit, sperans arte quadam se bonum poetam futurum, inanis ipse, atque eius poesis. *LAUDATVS est.* ? uerba Platonis haec sunt: Maxima bona sunt nobis per furorem diuino quodam munere concessum. Nam, & quae Delphis futura praedicit uates, & quae in Dodona sacerdotes furentes, multa, & magna commoda priuatim, & publicae Graecis hominibus attulerunt. *ORATIO* ? eloquentia. *ACTIO* ? gestus in pronunciando. *VEHEMENS* ? inflammata. *GRAVIS* ? ugens. *COPIOSA* ? defluens torrentis more. *COMMOTIOR* ? praeter solitum commotus. *AESOPo familiari tuo,* ? hic fuit histrio clarus. *VIS quaedam* ? noua uirtus. *A sensu mentis* ? a statu, siue firmitate mentis. *OBHICVNTVR* ? occurrunt oculis. Ponit alium furoris modum, & commotionis animorum. *REAPSE* ? reuera. *NULLAE sunt* ? nullam habent firmitatem. *SPECIEM* ? imaginem, ad spectum, uisionem. *NEFARIUM bellum* ? impium. Nefarium id dicitur, quod sacra polluit. Ex oraculo ? ex Delphica cortina, & templo. Aliquando Oraculum ponitur pro diuino responso, ut paullo infra: Ab eius solo, in quo humatus est, oracula peterentur. *PROUIDEBO* ? curabo. *ALBAE uirgines* ? Trogius inquit, Dum omnes opem dei suppliciter implorant, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesq. ei duas armatas uirgines, e propinquis Dianae Mineruaeque aedibus occurrisse dixerunt templi antistites: nec oculis tantum hoc se perpexisse, sed audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum. Motu terrae portio montis abrupta, Gallorum strauit exercitum: dux ipse Brennus, cum dolorem uulnerum ferre non posset, pugione uitam finiuit. *ALBAE* ? niueo amictu pellucetes, & diuino candore fulgentes, atque conspicuae. *VIDERENTVR* ? ipsis Gallis irruentibus. *NIVE* ? Infecuta deinde tempestas est, dicit Trogius, quae grandine, & frigore saucios absumpsit. *OBERVERETVR* ? tegetetur, & suffocaretur. *ARISTOTELES* ? in libro de praesentione per somnum. *NEC cardiacis, nec phreneticis.* ? Cardiaci dicuntur qui laborant morbo cordis. Phrenetici, qui laborant morbo mentis. Celsus lib. iii. agens de phrenesi dicit, Huic morbo praecipue contrarium est id genus, quod cardiacum a Graecis nominatur, quamuis saepe ad eum phrenetici transeant. siquidem mens in illis labat, in hoc constat. *INTEGRIS* ? sani, incorrupti. *VITIOSI* ? aliquid uitio laborantis. Vitium corporis, inquit Cicero, est, cum partes corporis inter se dissident. *STOICORVM ratione* ? argumentatione. *SI sunt dii,* ? Deos esse, probatum est in tribus libris de natura deorum. *ESSE suae maiestatis* ? pertinere ad diuinam excellentiam. *NEQVE non diligunt* ? multum diligunt. *NEQVE nostra nihil interest* ? multum est utile nobis. *CAVTIORES* ? prudentiores in euitandis malis. *NEQVE non possunt* ? facillime possunt. *SIGNIFICANT* ? dant nobis signa, & notas rerum futurarum, ut caueamus.

CICERO

QUID est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae disputari, uerissima, si ratio mecum facit, si euenta, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri; si denique hoc semper ita putatum est; si summi philosophi, si poetae, si sapientissimi uiri, qui res publicas constituerunt, qui urbes condiderunt; an, dum bestiae loquantur, expectamus; hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? Nec uero quidquam aliud affertur, cur ea, quae dico, diuinandi genera nulla sint: nisi quod

difficile dictu uidetur, quae cuiusque diuinationis ratio, quae causa sit. quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? quid augur, cur a dextra coruus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus, cur stella Iouis, aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni, Martis uel contraria? cur autem deus dormientes nos moneat, uigilantes negligat? quid deinde causae sit, cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere

facere non queat? cur fiat quidque, quaeris? recte omnino: sed non nunc id agitur: fiat, nec ne fiat, id quaeritur: ut si magnetem lapidē esse dicam, qui ferum ad se allicit, & trahat, rationem, cur id fiat, afferre nequeam, fieri omnino neget. quod idem facis in diuinatione: quam & cernimus ipsi, & audiuimus, & legimus, & a patribus accepimus: neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inuenta est, hac de re communis uita dubitauit: & postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate: excepi de antiquis, praeter Xenophanem, neminem: adiunxi ueterem Academicam, Peripateticos, Stoicos. unus dissentit Epicurus. Quid uero hoc turpius, quam quod idem nullam censet gratuitam esse uirtutem? quis autem est, quem non moueat clarissimis monumentis testata, consignataq. antiquitas? Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum, eumq. ducem classis fuisse: at illum auspicio credo scientia, non locorum. Amphilochns, & Mopsus Argiuorum reges fuerunt, sed idem augures, ij. q. urbes in ora maritima Ciliciae Graecas condiderunt. atque etiam ante hos Amphiaras, & Tiresias, non humiles, et obseuri, neque eorum similes, ut apud Ennium est, Qui sui questus causa fictas suscitant sententias; sed clari, & praestantes uiri, qui uerbis, & signis admoniti futura dicebant. quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait, solum sapere, ceteros umbrarum uagari modo. Amphiarum autem sic honorauit fama Graeciae, deus ut haberetur, atque ut ab eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Quid? Asiae Rex Priamus, nonne & Helenum filium, & Casandram filiam diuinantes habebat, alterum augurijs, alteram mentis incitatione diuina? quo in genere Martios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum uidemus. Quid? Po-

lydum Corinthium, nonne Homerus & alij multa, & filio ad Troiam proficiscēti mortem praedixisse commemorat? omnino apud ueteres, qui rerum potiebantur, idem auguria tenebant. ut enim sapere, sic diuinare regale ducebant, ut testis est nostra ciuitas, in qua & reges, augures, & postea privati eodem sacerdotio praediti temp. religionum auctoritate reuerunt. eaq. diuinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: siquidem & in Gallia Druides sunt, e quibus ipse Diuiriacum Aeduum, hospitem tuum, laudatoremq. cognoui; qui & naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur; & parim augurijs, partim coniectura, quae essent futura, dicebat: & in Persis augurantur, & diuinant magi, qui congregantur in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi: quod etiam idem uos quondam facere nonis solebatis. nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam, scientiamq. perceperit. Licet autem uidere et genera quaedam, et nationes huius scientiae deditas. Telmessus in Caria est: qua in urbe excellit haruspicum disciplina, itemq. Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Glutidarum haruspicinae nobilitate praestantes. In Syria Chaldaei cognitione astrorum, solertiaq. ingeniorum antecellunt. Etruria autem de caelo tacta scientissime animaduertit; eademq. interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris, atque potentis. quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decreuit, ut de principum filijs sex singulis Etruriae populis in disciplinam iraderentur; ne ars tanta, propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quaesum. Phryges autem, & Pisidae, & Cilices, & Arabum natio auium significationibus plurimum obtemperant. quod idem fatitatum in Umbria accepimus.

EXPLANATIO

QVIN sint ea? scilicet diuinationum genera. Si ratio? repetitione capium, concludit praesensionis ueritatem. RATIO? Stoica argumentatio. EVENTA? exitus rerum prouisarum. BARBARI? rudes habentes mores. AUCTORITATE? iudicio. RATIO? origo. QUID? quam causam. BONIS? propitijs. DIRIMAT? separet. PROFERAT? prorogandum esse ostendat. RATVM? certum. RECTE omnino: subaudi, quaeris. MAGNETEM. De eo Lucretius, Quod superest, agere incipiam, quo foedere fiat Naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit, Quem magneta uocant patrio de nomine Graij, Magnetum quia sit patrijs in finibus ortus: Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam Saepe ex anellis reddit pendentibus ex te.

PHILOSOPHIAM? scilicet Academicam, quae omnia in dubium reuocat. NUPER? non multo ante. admodum enim recens est Academica philosophia comparatione praefata De Academica Cic. ita scribit in I. de nat. de. Haec ratio contra omnia disserendi nullamq. rem aperte iudicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcesilae, confirmata a Carneade, usq. ad nostram uiguit aetatem. NEQUE communis uita? & nemo. DIXI de Pythagora & c. id egit Cicero in principio primi libri de nat. de. QUID uero hoc turpius? Eleuat auctoritatem Epicuri, dicentis in deo non esse gratiam. tollit quod est praestantissimum, iuuare scilicet, atque prodesse. Qui dat beneficia, inquit Seneca, Deum imitatur: qui repetit, generatores. MONUMENTIS? historicis libris, & poeticis. TESTATA? testimonijs probata. CONSIGNATA? quasi signo impressio roborata. translatio a dictis testium, ob signatq. tabellis. AMPHILOCHVS, & Mopsus Argiuorum reges fuerunt? Thucydides lib. II. hist. Amphilochnm scribit Amphiarai filium post bellum Troianum cum domum reuerfus esset, Argos exotum domicilium condidisse in linu. Ambraciota urbem, quam de nomine primae urbis, &

& suo Argos Amphilochium appellauit. Mopsus urbs est Ciliciae, ut auctor est Plinius. Eam Cicero in Epistolis Mopsuestiam uocat. Stephanus dicit, Mopsuestia urbs ad Pyramum fluum. Eustathius Libyci Dionysij interpres inquit, Mallus urbs Ciliciae dicta a Mallis id est coronis capillorum, quas rapiens alicunde Corus, ubi urbs condebat, deponit: inde Mopsus, & Amphilochus uates nomen indidere. Amphilochi oraculum in Mallo Ciliciae urbe Pausanias sua ipsius aetate cetera omnia ait superare. AMPHARAVS & Arguius uates pro deo cultus post mortem, qui & oracula reddebat, nam post purgationem, & perfectis sacrificiis iis deis, quorum in ara nomina sculpta fuerant, & mactato ariete, cuius pellis substernebatur, ubi incubantes captabant somnia, ex quibus interpretatis futura praenoscebant. TIRESIAS, & Hunc Eurymi Thebani filium, & post temporis seriem in eodem loco percussis eisdem serpentibus restitutum in pristinam naturam. Vtrumque igitur sexum expertus, cum arbiter adhibitus esset a Ioue, & Iunone, de amoris qualitate, & respondisset, uirum habere tres uncias amoris, nonem uero feminam; ab irata Iunone manu uersa excaecatum. Iovem uero ob id fecisse, ut septem aetates uiueret, uatesque praeter ceteros mortales esset. ALTERO & Tiresia, de quo Homerus in X. Odysseae solo & terra, in qua absorptus est in bello Thebano. Ponitur & Solum pro folio, hoc est oraculum pro loco, ubi redduntur oracula: ut paulo supra: Ferunt ex oraculo haec fatam esse Pythiam. POLYIDVM Corinthium, & Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Polybum Corinthium, ex Homeri loco, quem Cicero significat, qui est lib. 11. Iliados, his uerbis:

Ἦν δὲ τις ἀνείων πολυίδε μάντιος υἱός,
Ἀριεὸς τ' ἀγαθὸς τε, κοῖνῳ θεοῖσι κείνῳ ναίων,
Ὅς ἰδὲ εἰδὼς κηρὸν ὀλοήν ἐπὶ νηὸς ἔθεα εἰ:
Πολλὰ μὲν γὰρ αἰετοῖσι γέρον ἀγαθὸς πολυίδος,
Νῶσ' ὅπ' ἀργαλῆν φθίδεα ἴσ' ἐν μεγαροῖσιν,
Ἡ μὲ τ' ἀχαιῶν θυσίῃν ὑπὸ γράεσσιν ἀμύνει.

Sic & lib. 1. de leg. inter uates nominatur. Haec Paullus Pater. POLYIDVM: Latine Multiscium diceret. APVD ueteres, qui rerum potiebantur, &c. & Plato in Alcibiade, Imbui Persarum regum filios ait Magia, ut ad mundanae reip. imaginem suam & ipsi remp. administrare, distribuereq. condiscant. TENEBANT & callebant. AVCTORITATE & consilio. RATIO & ars. DRYADES, & Ita Galli sacerdotes suos uocabant, quia e glandiferis arboribus, praecipue uero e robore, uiscum illud demetebant, quo nihil habebant religiosius: quia tamquam praestantissimum numen uenena omnia pelleret, & animalium sterilitatem. Roborum eligunt lucos, inquit Plinius, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt: ut inde appellati quoque interpretatione Graeca possint Dryidae uideri. Pliniana lectioni consentiunt, qui Nymphas, Dryades a Graecis dictas uolunt, quae in glandiferis arboribus uitam haberent: & Hamadryades, quae sint una cum ipsis arboribus natae. Ad uitam conferre, quae de Dryadibus, & Hamadryadibus commentum sunt poetae, nemo mirabitur, qui in quodam epigrammate Virgiliano legerit:

Phoenix reparabilis ales:
Quem uos perpetuo decies praeuertitis aeuo,
Nymphae Hamadryades, quarum longissima uita est.

aut in Plutarchi lib. de cessatione orac. Phoenix,

Iouis alma propago,
Quem decies uestro Nymphae praeuertitis aeuo.

Vtrumque haec sint, Graeci, qui praecis homines uictum, & inde fortitudinem, seu uires ex glandibus comparasse dixere, quorumq. linguam Dryydes in sacris usos esse constat; glandiferas arbores communi nomine uocabant, easq. fortitudinis elogium fecere: quamquam Latini Roboris nomine fortitudinem, & unicam tantum speciem ex omnibus glandiferis intelligunt. HOSPITEM tuum & amicum externum. MAGI & ita Persae suos nominant sacerdotes. FANO & In templo sanum dicitur a φανέω, hoc est a uisione. VOS & Romani augures, quorum e numero erat M. Cicero. NONIS & singulis mensibus. Romani singulos menses in kalendas & nonas diuidebant. DISCIPLINAM, & naturalem, ex cognitione rerum occultarum, ut herbarum, lapidum, similibus, erat enim eo tempore laudabilis, non, ut nunc, detestabilis ex malorum spirituum consuetudine. iraque tres Magi Reges optima mente praediti Christo nato munera obtulerunt. Apollonium Tyaneum fuisse Magum, seu philosophum, ut Pythagorici, ait Hironymus ad Paullum. CERTAS & hereditario iure addictas. IAMIDARVM & Cecinit Pindarus ex Apolline, & Euadne natum infantem, quem expositum duo dracones inter uiolas nutruerint, unde Iamus appellatus sit, quoniam iā Graeci uiolas appellant, eundemque uaticinio clarum posteris suis lamidibus tale donum reliquisse. GLYCIDARVM, & Herodotus, & Pausanias hanc familiam Clytudas uocant. FLOREBAT & de fructuosis, & utilibus cogitaret. DECREUIT & statuit. DE principum filijs sex singulis Etruriae populis & Valerius Maximus non sex, sed decem fuisse tradit, qui singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. Haec Paullus pater. PRINCIPVM & nobilium, optimaum. POPVLIS: Duodecim fuisse Etruriae populi, totidemq. Lucumones iuxta duodenarium numerum urbium, quas primum coluere, quarum nomina Hadria, Mantua, Felsina, Clusium, Perugia, Atracium, Populonia, Vetulonia, Tarquinij sanum, Volturnae, uel Tuscanenses. IN disciplinam & ut erudirentur. TENVITATEM & deminutionem fortunarum. AVCTORITATE & dignitate. ABVCCERETVR & transferretur.

C I C E R O

AC mibi quidem uidentur ex locis quoque ipsis, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirma-
 qui a quibusque incolebantur, diuinationum uit. quas cum uellet Lyfander commutare, eadem
 opportunitates esse ductae. ut enim Aegyptij, ut Ba- eſſi prohibitus religione. atque etiam qui praeerant
 bylonij, in camporum patentium aequoribus habi- Lacedaemonijs, non contenti uigilantibus curis, in
 tantes, cum ex terra nihil emineret, quod contem- Paſitheae ſano, quod eſt in agro propter urbem, ſom-
 plationi caeli officere poſſet, omnem curam in ſide- niandi cauſa excubabant; quia uera quietis oracu-
 rum cognitione poſuerunt: Etrufci autem, quod reli- la ducebant. Ad noſtra iam redeo. Quoties ſenatus
 gione imbuti ſtudioſius, & crebrius hoſtias immola- decemuiros ad libros ire iuſſit & nam & cum duo uiſi
 bant, extorum cognitioni ſe maxime dederunt; ſoles eſſent, & cum tres lunae, & cum faces; &
 quodq. propter aeris craſſitudinem de caelo apud cum ſol nocte uiſus eſſet; & cum ex caelo fremitus
 eos multa fiebant; & quod ob eandem cauſam mul- auditus, & cum caelum diſceſſiſſe uiſum eſt, atque
 ta inuſitata partim ex caelo, alia ex terra orieban- in eo animaduuerſi globi, delata etiam ad ſenatum la-
 tur, quaedam etiam ex hominum, pecudum ue con- bes agri Priuernatis, cum ad inſinitam altitudinem
 ceptu, & ſatu; oſtentorum exercitatiſſimi interpre- terra deſeſſiſſet, Apuliaq. maximis terra moribus
 tes exſtiterunt. quorum quidem uim, ut tu ſoles dice- conquaſſata eſſet: quibus portentis magna populo
 re, uerba ipſa prudenter a maioribus poſita decla- R. bella, pernicioſaq. ſeditiones denunciabantur.
 rant. quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, inq. his omnibus reſponſa haruſpicum cum Sibyllae
 praedicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia di- uerſibus congruebant. Quid, cum Cumis Apollo ſu-
 cuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod dauit, Capuae Victoria? quid ortus androgyni? non
 paſtu pecudum maxime utuntur, campos, & montes ne fatale quoddam monſtrum fuit? quid, quod flu-
 hieme, & aeſtate peragrantes, propterea facilius ca- uis atratus ſanguine fluxit? quid, cum ſaepe la-
 tus auium, & uolatus notauerunt. Eademq. & Piſi- pidum, ſanguinis non nunquam, terrae interdum,
 diae cauſa fuit, & huic noſtrae Umbriae. tum Caria quondam etiam lectis imber de fluxit? quid, cum in
 tota, praecipueq. Telmeſes, quos ante dixi, quod a- Capitulo ictus centaurus ex caelo eſt? in Auentino
 gros uberrimos maximeq. fertiles incolunt, in qui- portae, & homines? Tuſculi aedes Caſtoris, & Pol-
 bus multa propter fecunditatem fingi, gigni, poſ- lucis, Romaeq. Pietatis? non ne & haruſpices ea re-
 ſunt, in oſtentis animaduertendis diligenter fuerunt. ſponderunt, quae euenerunt; & in Sibyllae libris eae-
 Quis uero non uidet, in optima quaque rep. plurimu- dem repertae praedictiones ſunt? quoties ſenatus
 auſpicia, & reliqua diuinandi genera ualuſſe? quis decemuiros ad libros ire iuſſit? quantis in rebus,
 rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur quamq. ſaepe reſponſis haruſpicum paruit? Cae-
 praedictione diuina? neque ſolum in pace, ſed in bel- liae, Q. filiae, ſomnio modo, Marſico bello, templum
 lo multo etiam magis, quo maius erat certamen, & eſt a ſenatu Iunoni Soſpitae reſtitutum. quod qui-
 diſcrimen ſalutis. omitto noſtros, qui nihil in bello, dem ſomnium, Siſenna cum diſputaſſet, mirifice ad
 ſine exitis agunt, nihil ſine auſpicijſ domi habent. uerbum cum re conueniſſe, tum inſolenter, credo ab
 auſpicia externa uideamus. nam & Athenienſes Epicuro aliquo inductus, diſputat ſomniiſ credi non
 omnibus ſemper publicis conſilijs diuinos quoſdam oportere. idem contra oſtenta nihil diſputat; expo-
 ſacerdotes, quos Mantes uocant, adhibuerunt; & nitique, inſitio belli Marſici & deorum ſimulacra ſu-
 Lacedaemony regibus ſuis augurem aſſeſſorem dede- dauiſſe, & ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cae-
 runt: itemq. Senibus, ſic enim conſilium publicum lum, & ex occulto auditas eſſe uoces, quae pri-
 appellant, augurem intereſſe uoluerunt: idemq. de- cula belli nunciarent; & Lanuij clypeos, quod
 rebus maioribus ſemper aut Delphis oraculum, aut haruſpicibus triſtiſſimum uiſum eſſet, a muribus
 ab Hamnone, aut a Dodona petebant. Lycurgus eſſe deroſos.

EXPLANATIO

OPPORTUNITATES & aptitudines. DVCTAE & deriuatae. Vt enim Aegyptij, ut Babylonij, & Vt Aegyptij, ut Babylonij, libentius legerem, uel, Etenim Aegyptij, & Babylonij. Haec Paullus pater. IN camporum aequoribus & in aequatis, & complanatis campis, quos Aequora ideo appellare uidetur, quia Nilo exundante quotannis irrigabantur in aestate. RELIGIONE imbuti & sacrificijs affluenti. VIM & significati-
 nem. TV soles dicere, & ut patet in I I. de nat. de. FINGI, & conformari. MANTES & uates, a uerbo μα-
 τήριον uaticinor Latine: inde ματῆριον uaticinandi locus, & fatis fandi idoneus. REGIBVS suis & duo
 enim erant, & domi forisq. id ius habebant, quod Romani conſules. AſſeſſoREM & conſiliarium. SENI-
 BVS & ſenatoribus remp. regentibus, & gubernantibus. Idem in Carone maiore dicit, Apud Lacedaemo-
 nios hi, qui ampliffimum magiſtratum gerunt, ut ſunt, ſic etiam appellantur ſenes: & maiores noſtri ſum-
 mum conſilium appellauerunt ſenatum. TEMPERAVIT & modificauit. AVCTORITATE & ſententia. VI GI-
 LANTIBVS curis & ſollerti commentatione. PAſITHEAE & Paſitheae, inquit Sudas nomen deae. Papinius,
 in Thebaide, Paſitheam e Grarijs maximam agnoſcit his uerbis:

Nam hoc Paſitheae blandarum prima fororum,

Paſitheam

Pascheam undique diuinam quidam interpretantur, & Cybelen esse autumant deorum omnium matrem, illudq. afferunt Catulli: Trepidantem eum recepit dea Pasithea sinu. *SOMNIANDI causa excubant;* Videtur esse legendum, Incubabant: quo uerbo & Virgilius, de Latino rege loquens, in simili sententia lib. vii. usus est, cum inquit: Pellibus incubuit stratis, somnosq. petiuit. Incubabant enim, ut somnos caperent. at Excubare contrarium significat. Haec Paullus pater. *QUIETIS* somni. *AD LIBROS* ad carmina Sibyllae. *DISCESSISSE* hiatus fecisse. *GLOBI* rotunditates, quas Graeci *σφαιρας* uocant. *DELATA* nunciata. *LABES* hiatus depressio. *DESEDISSET* deorsum sedisset. *CONGRUEBANT* conueniebant. *ANDROGYN* habentis utrumque sexum. Linius, agens de portentis, dicit, Satis constabat, Siuellae natum ambiguo inter marem, & feminam sexu infantem, quos Androgynos uulgo Graeco sermone ad duplicanda uerba faciliore appellat. *ATRATVS* nomen est parui fluminis non longe ab urbe, ut Spinon, & Nodinus, quorum appellationes mutatae sunt. *MODO* paucis ante annis. *RESTITVTVM* instauratum apud Lanuuium. *DISPVASSET* rationibus affirmauisset. *CVM RE* cum euentu rei per somnium uisae. *INSOLENTER* temere, pueriliter. *OSTENTA* signa, quae uigilantes cernere possunt.

C I C E R O

QUID, quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus praeter modum creuisset, Veientes quendam ad nos, hominem nobilem, profugisse, eumq. dixisse, ex fati, quae Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret; & si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo R. sin autem ita esset eductus, ut ad mare peruenire non posset, tum salutare nostris fore. ex quo illa admirabilis a maioribus Albanae aquae facta deductio est. Cum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatus dicere: in iisdem enim fati scriptum Veientes habere, fore ut breui a Gallis Roma caperetur. quod quidem sexennio post Veios captos factum esse uidemus. Saepe etiam & in proelijs Fauni auditi, & in rebus turbidis ueridicae uoces ex occulto missae esse dicuntur. cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima nam non multo ante urbem captam exaudita nox est a luco Vestae, qui a Palatii radice in Nouam uiam deuexus est; ut muri, & portae reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, ut Roma caperetur. quod neglectum cum cauere poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est. ara enim Aio loquenti, quam saeptam uidemus, ex aduersus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, cum terraemotus factus esset, ut suae plena procuratio fieret, uocem ab aede Iunonis ex arce exstitisse: quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Haec igitur, & a dijs significata, & a nostris maioribus indicata, contemnimus? Neque solum deorum uoces Pythagorei obseruauerunt, sed etiam hominum: quae uocant omnia. quae maiores nostri, quia ualere censebant, iccirco omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatum esset, praefabantur: rebusq. diuinis, quae publice fierent, ut sauerent linguis, imperabatur: inq. serijs imperandis, ut litibus, & iurgijs se abstinere. iteq. in lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret, & cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu consules obseruant, ut primus miles fiat bono nomine. quae quidem a te scis & consule, & imperatore summa re-

ligione esse seruata. Praerogatiuam etiam maiores omen iustorum comitorum esse uoluerunt. atque ego exempla omnium nota proferam. L. Paullus, consyl iterum, cum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obrigisset; ut ea ipsa die domum ad uesperum redijt, filiolum suum Tertiam, quae tum erat admodum parua, osculans animaduertit tristitiam: quid est, inquit, mea Tertia, quid tristis es? mi pater, inquit, Persa periit. tum ille arctius puellam complexus, Accipio omen, inquit, mea filia. erat autem mortua catella eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audiui, cum diceret, Caeciliam Metelli, cum uellet fororis suae filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa; quod fieri more ueterum solebat: cum uirgo staret, & Caecilia in sella sederet, neque diu ulla uox exstitisset, puellam defatigatam petijse a matertera, ut sibi concederet paulisper, ut in eius sella requiesceret; illam autem dixisse, Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes. quod omen res consecuta est: ipsa enim breui mortua est, uirgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat. Haec posse contemni, uel etiam rideri, praeclare intelligo: sed ipsum est, deos non putare, quae ab ijs significantur, contemnere. Quid de augurijs loquar? tuae partes sunt: tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi P. Claudius augur consuli nunciauit, addubitato salutaris augurio, bellum domesticum triste, ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum, paucioribus est a te diebus oppressum. cui quidem auguri uehementer assentior. solum enim multorum annorum memoria, non decantandi augurij, sed diuinandi tenuit disciplinam. quem irridebant collegae tui, eumq. tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant. quibus nulla uidebatur in augurijs, aut auspicijs praesensio, aut scientia ueritatis futurae, sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum esse factas religiones. quod longe secus est. neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus praefuit, nec in ipso Romulo haec calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. sed difficultas, laborq. discendi disertam negligentiam reddidit. malunt enim differere, nihil esse in auspicijs, quam, quid sit, ediscere.

EXPLANATIO

CVM lacus Albanus? In unum omnium curae uersae sunt, inquit Linius, quod lacus in Albano monte sine ullis caelestibus aquis, caussa ue alia, quae rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam creuit. Quidnam eo dii portenderet prodigio, missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum. REDVNDARET & excreceret. Romani, desperata ope humana, inquit Linius, fata, & deos expectant, cum legati a Delphis uenerunt sortem oraculi afferentes, congruentem responso captiui uatis: Romane aquam Albanam caue lacu contineri: caue in mare manare suo flumine sinas: emissam per agros dissipatamq. riuus, exstingues, tum tu insiste andax hostium muris, memor quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quae nunc panduntur, fatis uictoriam datam. Bello perfecto uictor donum amplum ad mea templa portato, sacrae patriae, quorum omissa cura est, instaurata ut assolere facito. TVRBIDIS & periculosis. DEVEXVS & deurgens, & accliuus. SVE plena & sue grauida. MONETAM & a Moneo uidelicet uerbo. NEQVE solum & iam agit de omnibus magna cura quondam obseruatis. PRAEFABANTVR & praefando enunciabant, ad malum omen excludendum. FERIIS imperandis & cum a magistratibus uoce praekonis imperabantur feriae. LVSTRANDA & recensenda, & expianda. DEDVCERET & alio duceret ad habitandum. DELECTV & electione militum. BONO & fausto, laeto, honesto. IMPERATORE & quoniam M. Cicero proconsul in Asia exercitui praefuit, hostesq. repressit: unde triumphum aliquando sperauit. PRAEROGATIVAM & id est tributa, quae in electione magistratum prima daret suffragium, & uocem. IUSTORVM & legitimorum. OMEN & uocem significatiuam FLAMINVM & sacerdotem. EXSTITISSET & exiuisset. MATERTERA & soror matris, quasi mater altera. SED ipsum est &c. & Idem est, inquit, signa deorum contemnere, & putare non esse deos. TVAE partes & tua cura, munus tuum. TIBI P. Claudius & Puto legendum, Ap. Claudius: qui fuit P. Clodij, Ciceronis inimici, frater, augur peritissimus, qui etiam de augurali scientia libros edidit, Ciceroniq. inscripsit, ut ex ep. 9. lib. III. ad Appium colligitur. & augurales Appij libros nominat Festus. Haec Paullus pater. ADVBITATO & non pure celebrato. TRISTE & luctuosum. TVRBULENTVM & saeuum. CUI & Appio Claudio. MVLTORVM annorum memoria & id est, longo annorum spatio, & recordatione. DECANTANDI & enunciandi ad fastum, atque iactantiam. DISCIPLINAM & artem. COLLEGAE tui & ceteri augures. PISIDAM & imitatorem Pisidarum & Soranorum, qui populi adhuc retinent nomen in extremo Latio. QVIBVS & nimirum collegis tuis. SAPIENTER esse fictas & a sapientibus esse fictas. AD opinionem imperitorum & subaudi decipiendam. LONGE & ualde. CALLIDITAS & astuta fictio. ESSE potuit & quoniam eo tempore sum plicissima erant ingenia. SIMVLACRA & fictiones. DISERTAM & eloquentem. DISSERERE & disputando affirmare. NIHIL & nullam ueritatem. QVID sit & quam habeat in se ueritatem.

CICERO

QUID est illo auspicio diuinius, quod apud te in Mario est? ut utar te potissimum auctore. Hic Iouis altisoni subito pennata satelles Arboris e trunco serpentis faucia morsu, Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem Semianimum, et uaria grauius ceruice micantem. Quem se intorquentem lanians, rostroq. cruentans, Iam satiata animos, iam duos uleat dolores, Abijcit esslantem, & laceratum affligit in unda, Seq. obitu a Solis nitidos conuertit ad ortus. Hanc ubi praepetibus pennis, lapsuq. uolantem Conspexit Marius, diuini numinis augur, Faustaq. signa suae laudis, reditusq. notauit; Partibus in tonuit caeli pater ipse sinistris. Sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen. Atque ille Romuli augur, pastoralis, non urbanus fuit; nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus, & posteris traditus. itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure, Curantes magna cum cura, concupientes Regni, dant operam simul auspicio, augurioque. Hinc Remus auspicio se deuonet, atque secundam Solus anem seruans. at Romulus pulcher in alto Quaerit Auentino, seruat genus altiuolantum. Certabant, urbem Romam ne, Remam ne uocarent.

Omnis cura uiris, uter esset induperator. Expectant, ueluti, consul cum mittere signum Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras, Quam mox emitat piclis ex faucibus currus: Sic expectabat populus, atque ore timebat Rebus, utri magni uictoria sit data regni. Interea Sol albus recessit in infera noctis. Exin candida se radijs dedit ista foras lux: Et simul ex alto longe pulcherrima praepes Laeua uolauit auis; simul aureus exoritur Sol. Cedunt ter quattuor de caelo corpora sancta Auium, praepetibus sese pulchrisq. locis dant. Conspicit inde sibi data Romulus esse priora, Auspicio regni stabilita scamna, solumque. Sed, unde huc digressa est, eodem redeat oratio: Si nihil queam disputare, quamobrem quidque fiat: & tantum modo fieri ea, quae commemorari, doceamus: parum ne Epicuro, Carneadi ue respondeamus? quid, si etiam ratio exstat artificiosae praesensionis facilis, diuinae autem paullo obscurior? quae enim extis, quae fulguribus, quae portentis, quae astris praesentiuntur, haec notata sunt obseruatione diuturna. Asfert autem uetustas omnibus in rebus longinqua obseruatione incredibilem scientiam: quae potest esse etiam sine motu, atque impulsu deorum, cum, quid ex quoque eueniat, & quid quamque rem significet, crebra

bra animaduersione perspectum est. Altera diuina-
tio est naturalis, ut ante dixi: quae physica disputan-
di subtilitate referenda est ad naturam deorum: a qua,
ut doctissimis, sapientissimis q. placuit, haustos ani-
mos, & delibatos habemus: cumq. omnia completa

sint, & referta aeterno sensu, et mente diuina, ne cesse
est cognatione diuinorum animorum animos huma-
nos commoueri. sed uigilantes animi uitae necessita-
tibus seruiunt, disiunguntq. se a societate diuina, uin-
clis corporis impediti.

EXPLANATIO

DIUINIUS & uerius, praestantius. IN Mario & libello de augurijs, qui Marij appellatione inscribatur,
eius meminit idem M. Cicero in principio suarum Legum. AVCTORE. & duce, doctore. HIC & tunc.
PENNATA *satelles* & aquila ministrans Ioui fulmina. Negant, inquit Plinius, solam hanc alitem fulmine
exanimatam, ideo armigeram Iouis consuetudo iudicauit. ARBORIS & nimirum quercus, quae Mariana ic-
circo dicta, quoniam eius in Mario meminisset Cicero, augurijq. principium posuisset, quod Mario fugien-
ti uisum est, & intellectum. SVBGIT & calcat, premit. VARIA & uersicolori, & maculoso collo. GRAVI-
TER & moleste, & cum dolore MICANTEM. & motus cientem. INTORQUENTEM & obliquantem, ac re-
plicantem. ANIMOS & irae, impetus, & timores. DVROS & acerbos. EFFLANTEM & moribundum. AF-
FLIGIT & impingit, illidit. NITIDOS & radiantes. PRAEPTIBVS & sublimius uolantibus, prosperis, & fe-
licibus. Nigidius Figulus in lib. primo augurij priuati ita dicit, Discrepat dextra sinistrae, praepes inferae. NO-
TAVIT & obseruauit. PARTIBVS *sinistris* & rationem sinistrae fulminis lege apud Dionysium lib. II. PA-
STORALIS & rudis, simplex, citra malitiam. VRBANVS & ciuilis. CERTIS & grauibvs, & fide dignis. APVD
Ennium & In primo scilicet annali. FRATRE & Remo. DEVOVET & deputat. SECVNDAM & prosperam, &
felicem. PVLCHER & regiae dignitatis, & indolis. ALTO *Auentino* & Aliter Liuius. dicit enim, Palatinum
Romulus, Auentinum Remus ad inaugurandum templa capiunt. CERNENS *genus altiulantum* & circum-
spiciens aues augurio secundas, & regni auctores, & duces. VIRIS & uirorum studijs, fauoribusque. INDV-
PERATOR & princeps, & dux illius coetus, & condendae urbis. CARCERIS *oras*, & Circi extremitates, ubi
equi repagulis quibusdam tamquam carceribus includuntur, emittunturque, ut lustrent metas, oblectent po-
puli studia, & contendant ad palmam. QVAM *mox* & quam cito. PICTIS *ex faucibus* & ex repagulis pi-
ctis. ORE *tinebat* & uultu timorem ostendendo. ALBVS & candore conspicuus. IN *infera noctis* & sub ter-
ram, cuius umbra noctem efficit. EXIN & deinde. CANDIDA & splendida. ICTA & percussa radijs Solis.
EX *alto* & ex septentrionali parte caeli, quae nobis semper est sublimis. Auctor est Dionysius augures e cae-
lo seruantes ad Solis ortum respicere, quibus in sinistra sit borealis axis, & in sinistra australis. felices ergo erant
aues, quae ex alto apparebant. PRAEPTES & prosperi augurij. CEDVNT & uolant. TER *quattuor* & Duode-
cim. Toruultures Romulo a sinistra parte apparuerint. dicuntur cum sex tantum Remo apparuerunt. SAN-
CTA & ueneranda. AVIVM & Anapaestus est dactylo contrarius. duas enim syllabas habet breues, & ultimam
longam. PRAEPTIBVS, *pulchrisque* & felicibus, & honestis. PRIORA, & primas partes in augurio duo-
decim uultuum. REGNI *scamna, solumque*. & regni subcella, & solium, ita a soliditate nuncupatum.
SED, *unde huc digressa* & Reuertamur, inquit Q. Cicero, ad causam diuinationis. DISPTARE & disputa-
do, afferre. TANTVMmodo *doceam* & solum ostendam, ita esse nulla reddita ratione. PARVM *ne* & ac si
dicat, multum quidem responderem. RATIO & causa FACILIS, & aperta, & plana. DIUINAE & subau-
di praesensionis, hoc est, uaticinij, & somnij. OBSCVRIOR & remotior, & profundior. MOTV, & concitatione.
QVid *ex quoque* & quid e re quae solet enenire, & sic ab effectibus ascenditur ad causas. ALTERA *au-
tem* & Tenebat nunc causam naturalis diuinationis, quae tota pendet a ui, & natura diuina. HAVSTOS &
acceptos. DELIBATOS & degustatos. AETerno *sensu* & prouidentia diuina contracta ad sensibilia corpora.
COGNATIONE & affinitate quadam naturalis qualitatis. COMMOUERI. & impelli ad diuinationem.
SED *uigilantes* & Respondet tacitae obiectioni, cur non omnes humani animi, nec semper diuinent, si diuini
sunt. SOCIETATE & commercio.

CICERO

RARVM est quoddam genus eorum, qui se a cor-
pore auocent, & ad diuinarum rerum cognitio-
nes cura omni, studioq. rapiantur. horum sunt au-
guria non diuini impetus, sed rationis humanae.
nam & natura futura praesentiunt, ut aquarum
fluxiones, ut deflagrationem futuram aliquando
caeli, atque terrarum: alij autem in rep. exercitati,
ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyran-
nidem multo ante prospiciunt: quos prudentes pos-
sumus dicere, id est prouidentes, diuinos nullo mo-
do possumus, non plus, quam Milesium Thalem, qui,
ut oburgatores suos conuinceret, ostenderetq. etiam
philosophum, si ei commodum esset, pecuniam face-

re posse, omnem oleam, ante quam florere coepisset,
in agro Milefio coemisse dicitur. animaduertent for-
tasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. &
quidem idem primus defectionem Solis, quae Astya-
ge regnante facta est, praedixisse fertur. Multa me-
dici, multa gubernatores, agricolae etiam multa prae-
sentiunt: sed nullam eorum diuinationem uoco, ne il-
lam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti
Lacedaemonij sunt, ut urbem, & tecta linquerent, ar-
matiq. in agro excubarēt, quod terra motus instaret,
tum, cum & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto
extrema montis quasi puppis auulsa est. Ne Pher-
cides quidem ille Pythagorae magister potius diui-
nus

nus habebitur, quam physicus: qui cum uidisset haustam aquam de iugi puteo, terraemotus dixit instare. Nec uero umquam animus hominis naturaliter diuinat, nisi cum ita solutus est, & uacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore: quod aut uatibus contingit, aut dormientibus. itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur, & ut dixi, a Cratippo nostro: si propterea, quod ea proficiuntur a natura; sint summa sane, modo ne sola: sin autem nihil esse in obseruatione putant; multa tollunt, quibus uitae ratio continetur. sed, quoniam dant aliquid, idq. non paruum, uaticinationes cum somnijs: nihil est, quod cum his magnopere pugnemus, praesertim cum sint, qui omnino nullam diuinationem probent. Ergo & ij, quorum animi, spretis corporibus, euolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, atque incitati cernunt illa profecto, quae uaticinantes praenunciant: multisq. rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent, ut ij, qui sono quodam uocum, et Phrygijs cantibus incitantur: multos nemora, siluaeque, multos amnes, aut maria commouent: quorum furibunda mens uidet ante multo, quae futura sunt. quo de genere illa sunt, Eheu uidete: iudicauit iudicium in clytium. Inter deas tres aliquis: quo iudicio Lacedaemonia Mulier furiarum una adueniet. eodem enim modo multa a uaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum uerbis, sed etiam Versibus, quos olim Fauni, uatesq. canebant.

Similiter Martius, & Publius uates eecinisse dicuntur. quo ex genere Apollinis opera prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracula funderent. Atque haec quidem uatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum, nam, quae uigilantibus accidunt uatibus, eadem nobis dormientibus. niget enim animus in somnijs, liberq. sensibus ab omni impeditione curarum, iacente, et mortuo paene corpore, quia uixit ab omni aeternitate, uersatusq. est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, uidet. si modo temperatis escis, modicisq. potationibus ita est affectus, ut, sopito corpore, ipse uigilet, haec somniantis est diuinationis. Hic magna quaedam exoritur, neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio, eodemq. modo & oculorum, & uaticinationum: sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum, nam ut aurum, & argentum, aes, ferrum frustra natura diuina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum uenas perueniretur: nec fruges terrae, baccas ue arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus, & condiciones tradidisset; materia deinde quid inuaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus: sic cum omni utilitate, quam diuinitibus dederunt, ars aliqua coniuuata est, per quam illa utilitas percipi possit. ite igitur somnijs, uaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt inter pretum.

EXPLANATIO

AVOCENT & remoueat. **HORVM** & talium hominum. **AVGVRIA** & praesagitione. **SOLONE** & de hoc uide Laertium. **DIVINOS** & uates. **MILESIVM Thalem;** & Arist. lib. I. Polit. Sed Plinius lib. XIII. cap. 28. hoc tribuit Democrito. **COMMODYM** & utile, ac placitum. **SCIENTIA** & naturi inuestigatione. **GVBERNATORES** & nauium moderatores. **EXCVBARENT** & pernoctarent. **INSTARET** & immineret. **PHYSICVS** & naturae indagator. **IUGI puteo** & perenni, semperq. scatente. **INSTARE** & impendere. **Nec uero** & Ponit nunc proprietatem naturalis diuinationis, qua somniantes utuntur, aut uates. **NATVRALE** & naturali impulsu citra artem aliquam. **NIHIL sit** & in nullo communicet. **VATIBVS** & diuino afflatu praedicientibus futura. **PROBANTVR**, & tenentur tamquam uera. **NUSTRO**: & familiaritate nobis iuncto. **SINT summa**, & primum locum habeant. **MODO ne sola**: & dummodo inquit, non excludantur cetera, quae arte constant. **NIHIL esse in obseruatione** & nullam esse ueritatem in artificiosa diuinatione, quae obseruationibus regitur. **DANT aliquid** & concedunt aliquam esse diuinationem uaticinantium scilicet, & somniantium. **CVM his** & Cratippo, & Dicaearcho. **NULLAM diuinationem probent** & eiusmodi sunt Epicurei. **EVOLANT** & libere, & celeriter exeunt. **ARDORE quodam** & ardenti cupidine. **INCITATI** & stimulati. **MVLTISSQ. rebus inflammantur** & uarijsq. modis commouentur. **INFLAMMANTVR** & suprema ui aguntur, & commouentur. **CORPORIBVS non inhaerent** & a terrestri mole sunt abstracti. **PHRYGIIS** & Cybeleijs. Arrianus auctor est, Phrygas esse ditissimos, antiquissimosq. omnium hominum, & furibundos propter Cybelem. **FVRIBVDA** & furore commota. **EHEU uidete**: & Vaticinium est Cassandrae furentis apud Ennium tragicum. **INTER deas tres** & Palladem, Iunonem, & Venerem, cui Paris aureum pomum adiudicauit. **LACEDAEMONIA mulier** & Laconica Helena. **VERSIBVS**, & Ennij uersus. Varro lib. VI. & in libro de claris oratoribus. **APOLLINIS operta** & arcana abdita Oraculi Apollinei. **CREDO etiam** & Ponit aliam causam naturalis diuinationis. **ANHELITVS** & afflatus. **ORACVLA** & deorum sententias. **RATIO** & causa. **NAM quae** & subaudi praesentiones. **VIXIT** & uitam accepit. **AB omni aeternitate** & ab uniuerso caelo. **IN natura** & in essentia. **HIC** & in hac parte. **EXPLANATORES** & interpretes. **VENAS** & meatus, translatio. **CONDICIONES** & modum bene disponendi. **MATERIA** & subiectum formarum arte inducendarum. **FABRICAM** & artem.

CICERO

QUO modo autem aut uates, aut somniantes ea uideant, quae nusquam etiam tunc sint, magna

quaestio est. sed, explorata si sint ea, quae ante quaeri debeant; sint haec, quae quaerimus, facilliora. continet

net enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae a te secundo libro est explicata dilucide. quam si obrinemus, stabit illud quidem, quod locū hunc continet, de quo agimus, esse deos, & eorū prouidentia mundū administrari, eosdemq. cōsule rebus humanis, nec solum uniuersis, uerum etiam singulis. haec si tenemus, quae mihi quidem non uidentur posse conuelli: profecto hominibus a dijs futura significari necesse est. sed distinguendum uidetur, quonam modo. Non placet Stoicis, singulis iecorum fissis, aut auium cantibus interesse deum: neque enim decorum est, nec dijs dignum, nec fieri ullo pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium uisis, alia in furentium uocibus. ea quibus bene percepta sunt, ij non saepe falluntur. male coniecta, maleq. interpretata, falsa sunt, non rerum uitio, sed interpretum inficitia. hoc autem posito, atque concesso, esse quandam uim diuinam, hominum uitam continentem: non difficile est, quae fieri certe uidemus, ea quaratione fiant, suscipiari. nam & ad hostiam diligendam potest dux esse uis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo: & tum, ipsam cum immolare uelis, extorum feri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut super sit. paruis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. quod ne dubitare possimus, maximo est argumentū, quod paulo ante interitum Caesaris contigit. qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, & cum purpurea uelle processit; in extis bonis optimi cor non fuit. num

igitur censet ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? qua ille rei nouitate percussus, cum Spurina diceret, timendum esse, ne & consilium, & uita deficeret: earum enim rerum utrumque a corde proficisci: postero die caput in iecore non fuit. quae quidem illi portendebatur a dijs immortalibus, ut uideret interitum, non ut caueret. Cum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus uictima illa uiuere nequisset: intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interijisse. Eademq. efficit in auibus diuina mens; ut tum huc, tum illuc uolent alites; tum in hac, tum in illa parte se occultent; tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. nam, si omne animal, ut uult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino; membraque, quo uult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit; eaq. ante efficit paene, quam cogitat: quanto id deo est facilius, cuius numini parent omnia? idemq. mittit & signa nobis eius generis: qualia permulta historia tradidit: quale scriptum illud uidemus: si Luna paulo ante Solis ortum defecisset in signo leonis, fore ut armis Darius, & Persae ab Alexandro, & Macedonibus proelio uinceretur, Dariusq. moreretur: et si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam, & adulterium domi: & si mulier leonem peperisse uisa esset, fore, ut ab exteris gentibus uinceretur ea resp. in qua id cōtigit. Eiusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus, Croesi filium, cum esset infans, locutum: quo ostento regnum patris, & domum funditus concidisse. Caput arfisse Ser. Tullio dormienti, quae historia non prodidit.

EXPLANATIO

EXPLORATA si sint? certam habeant essentiam. QVAERI? uestigari. EA ratio? ea cognitio. OB-
TINEMUS? defendimus, & conseruamus. HUNC locum? hanc quaestionem de diuinatione. SI te-
nemus? si defendimus. CONVELLI? ex animo eradicari. NECESSE est? nimirum, quia, nisi id facerent,
non confulerent hominibus. FISSIS? rimis. DECORVM est? conuenit maiestati diuinae. NEC fieri ullo
modo potest: ut scilicet conueniat diuinae maiestati, minimis quibusque rebus interesse ad hoc ut per ea
hominibus significet, quae futura sunt. PRAECURRERENT? praeuerent, antecederent. EXTIS? uisceribus,
intestinis. VISIS? imaginibus. VOLEVS? enunciationibus. EA? signa. NON saepe falluntur? raro aberrant a ueritate, quam praecurrunt signa. VI TIO,? culpa CONTINENTEM: regentem, & conseru-
antem. VIS sentiens,? quam mundi animam Stoici opinati sunt. CONFUSA? commixta. TOTO mun-
do: uniuersae naturae. NATVRA? uis ipsa sentiens in uniuersa natura. AFFINGIT? addit. ARGV-
MENTO? indicio. NVM censet? ac si dicat, impossibile est tale animal esse sine corde. PERCVLVS,? commo-
tus, contritus. CONSILIVM,? uirtus. VTRVMQVE? consilium, & uitam. A corde proficisci? a corde
pendere, quia calor uitalis qui palcitur sanguine subtracto corde sanguinis fonte exstinguitur, & cessat anima-
lis motus. Cor, inquit Arist. sanguinolentum est, motus etiam laetitiae, ac tristitiae denique omnium sensuum
hinc oriri uidentur. VIDERET? praenoleret. OSCINES? aues oris cantu augurantes. NAM, si omne ani-
mal? similitudine ostendit hoc esse diuinae menti factū facillimum. PRONO? decliui. OBLIQUO? flexo.
PORRIGIT? extendit. NVMINI? imperio. INFANS,? mutus. Erat Croeso, inquit Herodotus, filius ha-
bilis cetera, sed mutus. QVAE historia? quasi dicat, Omnia litterarum monumenta id testantur.

CICERO

VT igitur, qui se tradet ita quieti, praeparato
animo tum bonis cogitationibus, tum rebus ad
tranquillitatem accommodatis, certa, & uera cernit
in somnijs: sic castus animus, purusq. uigilantis, &
ad astrorum, & ad auium, reliquorumq. signorum,
& ad extorum ueritatem est paratior. Hoc nimirum
est illud, quod de Socrate accepimus, quodq. ab ipso
in libris Socraticorum saepe dicitur, esse diuinum
quiddam, quod Daemonion appellat, cui semper ipse
paruerit, numquam impellenti, saepe reuocanti. &
Socrates

Socrates quidem, quo quem auctorem meliorem quae-
rimus? Xenophonti consulenti, sequeretur ne Cyrum,
postea quam exposuit, quae sibi uidebantur, Et no-
strum quidem, inquit, humanum est consilium; sed
de rebus, & obscuris, & incertis ad Apollinem cen-
seo referendum; ad quem etiam Athenienses publi-
ce de maioribus rebus semper retulerunt. Scriptum
est item, cum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum
uidisset, quaesivisse quid esset: cum autem il-
le respondisset, in agro ambulanti ramulum addu-
ctum, ut remissus esset, in oculum recidisse; tum So-
crates: Non enim parvisi mihi renovati, cum uterer,
qua solem, praesagitione diuina. Idem etiam Socra-
tes, cum apud Delium male pugnatum esset Lache-
te praetore, fugeretq. cum ipso Lachete: ut uentum
est in triuium, eadem, qua ceteri, fugere noluit. qui-
bus quaerentibus, cur non eadem uia pergeret; deter-
reri a deo dixit. tum quidem ij, qui alia uia fuge-
rant, in hostium equitatum inciderunt. Per multa col-
lecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socra-
te diuinata sunt: quae praetermittam: tibi enim no-
ta sunt, mihi ad commemorandum non necessaria.
Illud tamen eius philosophi magnificum, ac paene
diuinum, quod, cum impijs sententijs damnatus es-
set, aequissimo animo se dixit mori: neque enim do-
mo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam
dixerat, adscendenti, signum sibi ullum, quod con-
suesset, a deo quasi mali alicuius impendentis da-
tum. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant
eos, qui aut arte, aut coniectura diuinare uideantur,
esse tamen diuinationem: homines autem, ut in cete-
ris artibus, sic in hac posse falli, potest accidere, ut
aliquod signum, dubie datum, pro certo sit acceptum:
potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset il-
li contrarium. mihi autem ad hoc, de quo disputo,
probandum satis est, non modo plura, sed pauciora
diuinae praesensa, & praedicta reperiri. quin etiam
hoc non dubitans dixerim: si unum aliquid ita sit
praedictum, praesensumque, ut, cum euenerit, ita
cadat ut praedictum sit, neque in eo quidquam ca-

su, & fortuito factum esse appareat, esse certe diui-
nationem, idq. esse omnibus confitendum. Quocirca
primum mihi uidetur, ut Posidonius facit, a deo, de
quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura
uis omnis diuinandi, ratioq. reperenda. fieri igitur
omnia fato, ratio cogit fati. factum autem id ap-
pello, quod Graeci *μαρτυρον*, id est, ordinem, serieq.,
causarum, cum causa causae nexa rem ex se gi-
gnat. ea est ex omni aeternitate fluens ueritas sem-
piterna. quod cum ita sit; nihil est factum, quod non
futurum fuerit, eodemq. modo nihil est futurum, cu-
ius non causas id ipsum efficientes natura conti-
neat. ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod
superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa
aeterna rerum, cur & ea, quae praeterierunt, facta
sint, & quae instant, fiant, & quae sequuntur, futu-
ra sint. ita fit, ut & obseruatione notari possit, quae
res quamque causam plerumque consequatur, etiam
si non semper: nam id quidem difficile est affirmare,
easdemq. causas, uerisimile est, rerum futurarum
cerni ab ijs, qui aut per furorem eas, aut in quiete
uideant. Praeterea, cum fato omnia fiant, id quod
alio loco ostenditur: si quis modo talis possit esse,
qui colligationem causarum omnium perspiciat ani-
mo, nihil eum profecto falleret. qui enim teneat caus-
sas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat,
quae futura sint. quod cum facere nemo, nisi deus,
possit; relinquendum est homini, ut signis quibusdam,
consequentia declarantibus, futura praesentiat. non
enim illa, quae futura sunt, subito existunt; sed est,
quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis ni-
hil noui efficientis, & primum quidque replicantis.
quod & ij uident, quibus naturalis diuiniatio data
est: & ij, quibus cursus rerum obseruando notatus
est. qui etsi causas ipsas non cernunt, signatamen
causarum, & notas cernunt: ad quas adhibita me-
moriam, & diligentiam, ex monumentis superiorum effi-
citur ea diuiniatio, quae artificiosa dicitur, extorum,
fulgurum, ostentorum, signorumq. caelestium.

EXPLANATIO

CASTVS & immaculatus. **PVRVS** & citra uitium. **VERITATEM** & ueram intelligentiam. Sic Q. Cicero
comprobat utramque diuinationem. **DE Socrate** & Xenoph. initio lib. I. *ἀπομνη*. &c. circa finem, &
lib. III. *κῆρυξ*. circa initium. **DAEMONION** appellat, & uim intellectiuam. Idem Cicero in Timaeo sic scri-
bit: Daemones appellant Graeci, nostri, ut opinor, Lares, si modo hoc recte conuersum uideri potest. At Lares
sunt dij domestici scilicet familiarum custodes. hinc & Lar familiaris, ab antiquis, teste Plauto, in canis figu-
ram efformabatur. Plutarchus in probl. cur, inquit, Laribus, quos proprie Praefites uocant, canis affinit, ipsi
autem canum uestibus uestiuntur. Sunt, qui Laris nomine focum, & uniuersam domum uocant. **IMPEN-
LENTI** & hortanti ad aliquid agendum. **AVCTOREM** & ducentem. **AD Apollinem referendum** & hoc est pe-
tendum esse consilium Apollinis. **ADDUCTVM**, & attractum. **DELIVM** & Linius agens de bello Macedoni-
co sic scribit: Templum est Apollinis Delium imminens mari, & fano lucoque, ea religione, & eo iure, quo
sancta sunt templa, quae *δούρα* Graeci appellant. **AEQVISSIMO** & pacatissimo. Socrates in Apologia sic lo-
quitur: Diuina quaedam uox mihi adest, quae agere quippiam aliquando prohibet, ad agendum uero pro-
uocat numquam. Vos iudices bene de morte sperare debetis, idque unum cogitare uerum esse, uiro uidelicet
bono nil mali accidere posse, neque uiuenti, neque uita defuncto. mihi, laboribus morte liberari, bonum est:
& ideo diuinum illud signum mihi non obstitit. **SVGESTVM** & pulpitem. **CONIECTVRA** & iudicio, quod
signis nititur. **PRO certo** & pro uero, & infallibili. **IPSVM** & scilicet, signum datum. **DINVS praesensa**, &
diuinitus praecognita. **CADAT** & eueniat. **CASV** & qui naturam sequitur. **FORTVITO** & hoc est fortuna,
quae mentem sequitur, ut in phisicis aperit philosophus. **REPETENDA** & requirenda. **FATO** & Fatum, di-
cebat Chrylippus auctore Gellio, est sempiterna quaedam, & indeclinabilis series rerum, & catena uoluens
sele,

sele, & implicans per aeternos consequentiae ordines, e quibus apta, connexaq. est. *επιμαρτυρηται* ita dicitur, quoniam genita ordine quodam comprehenduntur. *μαρτυρο* Graece, Comprehendo Latine. *SERIE* & contextum quendam. *FLVENS* & emanans. *FVTVRVM* fuerit; & debuerit in lucem prodire ex caussis, in quibus quasi tenebris latebat. *SUPERSTITIOSE* & praeter naturae rationem. *PHYSICE* & secundum rationem naturae. *CAVSSA* & scilicet efficiens. *CVR* & a qua. *INSTANT*, & praesentia sunt. *QVAE res* & quis effectus. *PLERVMOVE* & saepius. *ID* & quod scilicet semper consequatur. *VERISIMILE est*, & ordinem uerborum, & sententiam secuti, sic emendauimus; cum antea *Verisimiles*, legeretur. Haec Paullus pater. *FVROREM* & affatum diuinum. *QUIETE* & somno. *ALIO loco* & alio libello, quem scilicet de fato composuit Cicero. *COLLIGATIONEM* & nexum, ac seriem quandam ad producendos effectus. *TENEAT* & intelligat. *CONSEQUENTIA* & euenientia. *EXISTVNT* & se ostendunt. *EXPLICATIO* & euolutio. *TRADUCTIO* & cursus. *NIHIL noui* & quia earundem causarum iisdem existunt effectus. *REPLICANTIS* & iterum inuoluentis. *QVOD* & quam explicationem, & replicationem. *NATVRALES diuinatio* & quae fit per furorem, & somnum. *CAVSSAS* & uim rerum efficientem. Ex monumentis & obseruationum historijs.

CICERO

NON est igitur ut mirandum sit, ea praesentiri a diuinantibus, quae nusquam sint: sunt enim omnia, sed tempore absunt. atque, ut in seminibus nis inest earum rerum, quae ex ijs progignuntur: sic in caussis conditae sunt res futurae, quas esse futuras, aut concitata mens, aut soluta somno cernit, aut ratio, aut coniectura praesentit. atque ut ij, qui Solis, & Lunae, reliquorumq. siderum ortus, obitus, motusq. cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante praedicunt: sic, qui cursum rerum, euentorumq. consequentiam diuturnitate pertractata notauerunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque, quod si ne id quidem conceditur, non numquam certe, quid futurum sit, intelligunt. Atque haec quidem, & quaedam huiusmodi argumeta, cur sit diuinatio, ducuntur a fato. A natura autem alia quaedam ratio est: quae docet, quanta sit animi nis seuincta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat; ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti optent aliquid, aut noceant, hant dubitent, quin dii illud exaudiant: sic animi hominum, cum aut somno soluti uacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati mouentur; cernunt ea, quae permisti cum corpore animi uidere non possunt. Atque hanc quidem rationem naturae difficile est fortasse traducere ad id genus diuinationis, quod ex arte profectum dicimus. sed tamen id quoque rimatur, quantum potest, Posidonius, cum esse censet in natura signa quaedam rerum futurarum. ut enim Ceos accepimus ortum caniculae diligenter quotannis solere seruare; coniecturamq. capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubris ne, an pestilens annus futurus sit: nam, si obscurior quasi caliginosa stella exstiterit, pingue, & concretum esse caelum, ut eius adspiratio grauis, & pestilens futura sit: sin illustris, & perlucida stella apparuit, significari caelum esse tenue, purumque, & propterea salubre. Democritus autem censet sapienter instituisse ueteres, ut hostiarum immolarum inspicerentur exta, quorum ex habitu, atque colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi, non numquam etiam quae sit uel sterilitas agrorum, uel fertilitas futura. quae si a natura profecta obseruatio, atque usus agnouit; multa asferre po-

tuit dies, quae animaduertendo notarentur: ut ille Pacuianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognoscere uideatur.

- Nam istis, qui linguam auium intelligunt, Plusq. ex alieno iecore sapiunt, quam ex suo, Magis audiendum, quam auscultandum, censeo. cur quaeso? cum ipse, paucis interpositis uersibus, dicas satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,

Sepelit, recipitq. in sese omnia, omniumq. idem est pater,

Indidemq. eadem, quae oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium una, eaq. communis, cumq. animi hominum semper fuerint, futuriq. sint, cur ij, quid ex quoque eueniat, & quid quamque rem significet, perspicere non possunt?

Haec habui, inquit, de diuinatione quae dicerem. nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quae stus caussa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius, amicus tuus, uti solebat, agnoscere. Non habeo denique nauici Marsum augurem, Non haruspices Vicanos, non de circo astrologos, Non Istiacos coniectores, non interpretes somnium; Non enim sunt ij, aut scientia, aut arte diuini, Sed supersticiosi uates, impudentesq. harioli, Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat: Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiam: Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmam ipsi petunt:

De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cetera.

atque haec quidem Ennius; qui paucis ante uersibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus. ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam, ac multa praedicere, lenitate, uanitate, malitia exclusa diuinationem probo. Quae cum dixisset Quintus, Praeclare tu quidem, inquam, paratus.

Desunt pauca quaedam.

EXPLA-

EXPLANATIO

NON est igitur? Docet ea esse in suis causis, quae nondum exstant, aut apparent. **NVSQVAM** sint? nondum appareant. **SVNT omnia**, habent esse in proprijs causis. **TEMPORE** & spatio temporis, & conditione. **VIS** & causa efficiens, & procreans. **CONCITATA** & inspirata, & commota. **SOLVTA** & libera, non occupata circa corporeos sensus. **RATIO** & ars usua effecta. **CONIECTVRA** & opinabile iudicium. **EVENTORVM** & effectuum. **DIVTYRNITATE** & longo temporis usu. **NON NVMQVAM** & aliquando interdum. **DVCVNTVR** & originantur. **Anatura** & a naturali proprietate rerum, quarum principium obtinet anima. **ALIA ratio** & alius modus. **MENTE permotis**, & furentibus, & uaticinantibus. **SENTIUNT** & cognoscunt. **VOVEANT** & numinibus promittant. **SOLVTI corpore** & non occupati circa corpus. **VACANT** & uacui sunt, nihil agunt. **PERMISTI cum corpore animi**, & nihil muto, neque mutandum censeo: fuit tamen, cum dictionem, Animi, crederem abundare. Haec Paullus pater. **PERMISTI cum corpore**, & occupati circa corpus. **RATIONEM naturae** & modum naturalis diuinationis. **TRADVCERE** & accommodare. **RIMATVR**, & subtiliter inquirat. **VT enim Ceos** & Particulae, **VT**, non uideo, quid respondeat omnino in Ciceronis scriptis non nulla deprehenduntur, quae non est, quo referantur: sed, utrum id scriptoris, an librarium uitio sit assignandum, ignoro. hic quidem unius litterae mutatione restitui poterit, Et enim Ceos. Haec Paullus pater. **Ceos**: incolentes Ceam insulam in mari Aegaeo prope Euboeam. **EXISTITERIT** & apparuerit. **PINGVE** & crassum. **CONCRETVM** & densum. **ADSPRATIO** & afflatus. **GRAVIS** & onerosa, noxia. **Purum**, defaecatum, liquidum. **HABITV** & qualitate. **Anatura** & a naturalibus qualitatibus. **VSVS** & experientia. **MVLTA** & scilicet signa. **DIES**, & tempus. **IN Chryse** & id est tragoedia de Chryse olim sacerdote Apollinis Sminthei, eius meminit Homerus in Iliad. **NAM istis, qui linguam auium intelligunt**, & Si legatur, Linguas, erit integer senarius, omissa collisione in primo pede. **Istis**: auguribus. **ALIENO iecore sapiunt** & praesentiunt ex inspectione iecoris alieni. **QVAM suo**, & quam proprio iecore. Plato uult animae partem quandam, quam agreste animal nominat, ex iecore, cui quasi praesepi alligata est, praesentionem capere. **MAGIS audiendum, quam auscultandum** & magis praestandum esse auditum, quam obsequium. **CVR quaeso** & Verba sunt Q. Ciceronis. **LYCVLENTE**: & splendide, aperte. **OMNIA animat**, & Non fit collisio, ut sit dactylus, & anapaestus. **OMNIA animat**: & omnibus animam infundit. **AVGET** & uegetat. **CREAT** & producit. **SEPELIT** & in se cadentia condit. **PATER** & procreator. **INDIDEMQ. eadem, quae oriuntur, de integro** & Videtur ita legendum, & distinguendum: Indidemq. eadem oriuntur de integro. Versus est octonarius catalecticus. **Indidemque**: & similiter inde. **De integro**: denuo. **EODEM occidunt** & recidunt in idem. **QVIBD est igitur, cur**, & Cur fortasse delendum, cum sit infra, Cur ij. aut memoriae uitio idem a Cicerone relatum putemus, qua de re alibi diximus, adducta exemplorum copia. **Quid est igitur & c.** & Concludit Q. Cicero animos posse cognoscere signa rerum futurarum, & notas. **VNA domus** & commune quoddam domicilium. Caelum intelligit quod ambit, & complectitur omnia. **Ex quoque** & quacumque re. **HAEC habuit, inquit** & Verba M. Ciceronis haec sunt, de Q. fratre. **TESTABOR**, & affirmabo. **SORTILEGOS** & eos, qui per sortes uaticinantur. **HARIOLENTVR** & annunciant fata. **PSYCHOMANTIA** & diuinationes per animam ab inferis euocata. **AGNOSCERE** & approbare, confirmare. **NON habeo denique nauici Marsum augurem** & scripsi, ut uerum: cui deesse puto primos duos pedes. **NON habeo**: & Ennianum est carmen. **NON habeo nauici**: & nec minimi facio. **VICANOS** & circumforaneos. **NON de circo astrologos**, & cum hos esse octonarios catalecticos, plane constet, distribu uersus in suos pedes commode non possunt, nisi Astrologos, L. littera geminata, legamus, ut Relligio, Relliguiae, Rellatum: ut in Andria Terentij,

Ut pernoscat, ecquid spei sit reliquum. Et in Phormione,

Quod ab ipso allatum est, sibi esse id relatum putet.

ISTACOS & Idis sacerdotes, qui diuinationem profitentur. **INTERPRETES** & In dimensione abijcitur ultima littera, S: ut sit dactylus terprete: ut illud,

Affixus scopulis tu dabi supplicium.

SOMNIVM & hoc est, somniorum. **NON enim sunt ij aut scientia, aut arte diuini**. & Hic octonarius esse non potest, cum tamen & superiores omnes, & sequentes octonarij sint. quocirca, ut cum reliquis congruat libenter mutarem ordinem uerborum, si per antiquos libros liceret: ut ita legeretur:

Non enim sunt hi diuini aut arte, aut scientia.

In sequenti uersu tribrachum esse necesse est pro trocheo, in uerbo Harioli. **SVPERSTITIOSI** & uanij. **QVIBVS diuitias** & Quibus di-anapaestus. **ABijs** & anapaestus. **DRACHMAM**. & Genus nummi minimum. **De bis diuitijs** & quas alijs pollicentur. **DEVCANT** & detrahant, auferant. **LEVITATE** & inconstantia. **VANITATE** & mendacio. **MALITIA** & deceptione. **PRAEGLARE paratus** & optime instructus, subaudi aduenisti.



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE. DIVINATIONE

LIBRVM. II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

In hoc secundo de diuinatione M. Cicero, Academicum agens, argumenta Stoicorum confutat argumentis, & exempla exemplis, ut, diuinatione omni in dubium reuocata, cuique liberum sit de ea arbitrari, quidquid uerisimile uideatur. Ad legentium tamen animos demerendos nonnulla praefatur, & praeterea ostendit, cur ad hanc philosophicam scriptionem fuerit impulsus.

C I C E R O



QVAERENTI mihi, multumq. & diu cogitanti, quam re posses prodesse quamplurimis, ne quando intermitterem consulere reip. nulla maior occurrebat, quã si optimarum artium uias traderem meis ciuibus: quod

compluribus iam libris me arbitror consecutum. nã & cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius: & quod genus philosophandi minime arrogans, maximeq. & constans, & elegans arbitramur, quatuor Academicis libris ostendimus. cumq. fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum, et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris; ut, quid a quoque, & quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. totidem subsequenti libri Tusculanarum disputationum, res ad beate uiuendum maxime necessarias aperuerunt. primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus: quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim, ad beate uiuendum uirtutem se ipsa contentam. quibus rebus editis, tres libri perfe-

cti sunt de natura deorum: in quibus omnis eius loci quaestio continetur: quae ut plene esset, cumulateq. perfecta, de diuinatione ingressi sumus his libris scribere. quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. atque his libris annumerandi sunt sex de rep. quos tunc scripsimus, cum gubernacula reip. tenebamus: magnus locus, philosophiaeq. proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaq. Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam, quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum me detur: ceteris item multum profuturam puto. Interiectus etiam est nuper is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus. In primisque, quoniam philosophia uir bonus efficitur, & fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. Cumq. Aristoteles, itemq. Theophrastus, excellentes uiri cum subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint; nostri quoque oratorij libri in eundem numerum referendi uidentur. ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator. Adhuc haec erant: ad reliqua acriter tendebamus animo, sic parati, ut, nisi quae causa grauior obsitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui nõ Latinis litteris illustratus pateret. quod enim munus reip. afferre maius, melius ue possumus, quam si docemus, atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus,

2

atque